




Biblioteca  Valenciana



31000005092351

B.D.T. de L. e V.N.'F. da S.

S. XVIII

1217

EMMANUELIS
MARTINI

ECCLESIAE ALONENSIS DECANI

VITA,

SCRIPTORE

GREGORIO MAJANSIO,
*Generoso, & Antecessore Valen-
tino, Hispaniarum Regi
à Bibliotheca.*



MANTUÆ CARPETANORUM.

Apud JOANNEM STUNICAM.

ANNO MDCCXXXV.

EMMANUELIS
MARTINI
LIBRARIUS
VITA

SCRIPTORIS
GREGORIO MANNISIO
Gregorio, G. Martini
tomo, 11.º
a 1711.

MANUSCRIPTUM
A. M. JOHANNES TUNICAM
ANNO MDCCLXX

ILLUSTRISSIMO VIRO
JOSEPHO OCTAVIO
BUSTANZIO

REIPUBLICÆ GENUENSI A SECRETIS

APUD PHILIPPUM V.

Hispaniarum Regem,

GREGORIUS MAJANSIUS,
Generosus Valentinus,
S. D.

N*On sum nescius, Perillus-*
tris Josephe Octavi Bust-
tanzi, cùm viventis hominis Vi-
tam literis mandem, fore, ut
hic meus labor in varias repre-
hen-

hensiones incurrat. Sed cùm consi-
derem probatum iri argumentum,
& Tibi, & iis, quos ego posse ju-
dicare arbitror; me nullo modo
pigebit invidiæ molem sustinere.
Nam, si quid veri mens augurat,
scriptioni meæ non deerit bono-
rum omnium patrociniū, maxi-
mèque tuum. Scripsi Vitam Ho-
minis Hispani, cujus Notæ Criti-
cæ in Q. Sectani Satyras, Jani
Vincentii Gravinae obtrectatori-
bus, Latinae linguae imperitiam ob
oculos posuerunt, ipsis vel invi-
tis fatentibus. Cujus Latina dic-
tio

tio eidem Gravinae, nostrae aetatis
scriptori elegantissimo, fuit Ca-
non; Graecae linguae usus Lauren-
tio Zaccagnae Graecis literis doc-
tissimo, emulationi; Antiquita-
tis cognitio Raphaëli Fabretto abs-
trusae eruditionis sagacissimo In-
terpreti, auxilio; reconditarum
literarum explicatio M. Antonio
Sabbatino Antiquariorum sui tem-
poris Principi, miraculo; monu-
menta vetera illustrandi sollertia
Bernardo Monfalconio totius An-
tiquitatis eximio enarratori, or-
namento. Cujus diligentia novam

veluti vitam dedit Scriptoribus
Hispanis qui ab Augusto Impera-
tore per mille annos floruerunt.
Cujus laboris assiduitas, & stre-
nuè navata opera Aguirrianæ
Conciliarum Hispaniæ editioni,
magno bono est discipline Eccle-
siasticæ. Cujus Poëtica facultas
(neque enim hæc prætereunda,
Sedib. æthereis spiritus ille venit)
sive Latinè, sive Græcè, sive
Etruscè, versus ille pangat, pro-
ximè ad illarum Nationum Poë-
tarum Principum præstantiam
videtur accedere: ut Hispanam
ta-

taceam Poëticam, in qua tantum
virum excellere mirum non est.
Cujus eloquentia est admirabilis,
digna que judicio superbissimarum
aurium; sermo denique talis, ut
Suade illius, quam in Periculis la-
bris scripsit Eupolis sessitavisse,
videatur hic esse, medulla ipsa.
Sed quid multis verbis opus est,
cum uno tantum opus sit? Scripsi
Vitam EMMANUELIS MARTINI,
cujus virtutes impensè amas, co-
lis, dignissimasque putas prædi-
catione tua. Vide, Illustrissime
Bustanzi, causas in me impen-
den-

dentis invidiæ ; videat & ip-
sa, intabescatque videndo. Nunc
in mentem revoca, quo Te jure
mibi Patronum advocem. Me-
ministi optimè, paucis ab hinc
mensibus fuisse nos apud Benjami-
num Keene Regis Angliæ Orato-
rem, virum mirifico rerum pu-
blicarum usu, & duabus fœde-
rum sanctionibus Hispanos inter
& Britannos toto orbe celeberr-
mum. Tunc inter loquendum fac-
ta fuit mentio Emmanuelis Mar-
tini Epistolarum, quarum aliquas
ego publicaveram, quasque vir
sum-

Summo ingenio summoque iudicio
iucundè legerat : idemque pro sin-
gulari erga literas amore signifi-
cavit se desiderio teneri videndi
alias, quarum ego memineram in
Præfatione mea. Cùmque uterque
nostrum desiderio ejus satisfacere
vellemus; in nos recepimus, ad
Emmanuelem Martinum scriptu-
ros esse : qui certior factus, è ves-
tigio Tibi (nec verò invideo, De-
canus enim mihi rescripsit, ut
summa gloria me perfunderet, es-
se Te, alterum me) Tibi, inquam,
misit autographum ipsum, ut per
Te

Te in manus perveniret Amplissimi viri: cujus beneficio factum est, ut Epistolæ illæ, itemque ejusdem Decani aureolus libellus ΠΕΡΙ ΠΑΘΩΝ, sive De Animi Affectionibus, in lucem prodierint. Nisi Tu igitur de me honorificè, ut soles, loquutus fuisses; nisi meas, unàque Decani Epistolas legendas dedisses egregio illi literarum fautori; frustra reliquæ lucem expectassent publicam. Et quid interea Tu? Me urgere, impellere, ut Vitam hanc quam à me scriptam sciebas, publici juris facerem. Per-
gi.

gite , pergite , literarum Patroni.
Facentes literas erigite. Excita-
te , si potestis , vestro exemplo &
auctoritate , tanta glorie emula-
tores. Qui nisi fuerint ; quid su-
perest , nisi ut qui bonarum ar-
tium studio tenemur vitam otiosi
& inglorii per summam inertiam
transigamus ? Quoniam igitur &
mibi , & Emmanueli Martino tan-
topere faues ; accipe Libellum , in
quo , & amorem adversus Deca-
num , & indulgentiam erga me
exercere poteris. Equidem ego vix
querere poteram argumentum
aliud

aliud in quo mihi abs te venia es-
set paratior: quam si mihi indul-
seris, plurimi faciam humanita-
tem tuam; si non concesseris, &
errata mea castigaveris; multò
pluris faciam quidquid emendare
volueris. Scis quanti aestimem obe-
lismos tuos. Plusquam Cicero At-
tici ceras illas miniatulas. Scilicet
in te Natura contulit peracutum
ingenium; optimorum Auctorum
lectio eximie roboravit iudicium
tuum; integritas amabilem Te;
affabilitas charum facit omnibus.
Et tamen Prudentia principatum
ob-

obtinet inter virtutes tuas. In quibus
prædicandis ego multus essem,
nisi de Te loquerer apud Te, mo-
destissimum virum. Prætereà be-
neficiorum abs Te acceptorum me-
moria potius postulat, ut ob tua
erga me magna merita ad Tibi
gratias agendas me convertam.
Nam & Tibi debeo maximorum
hominum patrocinium; & meo-
rum studiorum æstimationem ali-
quam apud præstantes judicio &
dignitate viros, & quod ego ut
summum beneficium acceptum fe-
ro, amicitiam tuam, ex qua ju-
cun-

cundissimos amoris, doctrinae, omniumque suavitatum fructus percipio. Sæpè enim expertus sum, Te benevolentia erga me prope incredibile affectum, cum nullam mei ornandi occasionem prætermittas; Et ex communicatione tua quotidie sentiam me multum proficere; cum Tibi semper in ore sint veterum Et recentiorum Sapientum cordatissima dicta; optimorum Poëtarum, Italorum, Hispanorum, Latinorum, Græcorumque sententiæ selectissimæ; scriptorum omnis generis gratiæ: ut in Te

&-

æquè mirer delectum, ac copiam:
hæc à memoria tenacissima; ille à
prudèntia venit singulari. Quæ
cùm ita sint, minimè miror, Rem-
publicam tuam tam sapienter sibi
consulere, qui Te isto iudicio, mo-
rum gravitate, doctrina, rerum-
que usu præstantissimum virum,
tali munere vult fungi, quod non
nisi prudentissimis hominibus, tui-
que similibus (qui perpauci sunt)
committi debet. Quo fit, ut Reipu-
blicæ tuæ beneficio præsentia tua
fruamur; tuarumque virtutum
admiratione Reipublicæ tuæ pro-
vi-

videntiam maximè laudare debeamus. Deum veneror ut tot tantaque bona Tibi velit esse perpetua. Madriti. Ex Museo, Postridie Kal. August. An. MDCCXXV.

EM.





EMMANVEL MARTINVS
Ecclesiae Alonensis Decanus.

I.º a Palom.º del. et sculp.

EMMANUELIS

MARTINI

ECCLESIAE ALONENSIS DECANI

VITA,

SCRIPTORE

GREGORIO MAJANSIO,

Generoso Valentino.



Larorum Virorum qui vitâ functi fuerunt, facta moresque posteris tradere, sæculis omnibus usitatum; sed viventis adhuc virtutes ipsis præsentium oculis animisque spectandas admirandasque proponere, ut factu pulchrum, ita invidiosæ plenum opus alex. Humanum enim ingenium præterita plerumque veneratione, præsentia invidiâ prosequitur; ipsamque illam virtutem, quam ex oculis sublatam gravissimè quereretur; odisse solet præsentem. Adeò recti cognitionem invidia, aut impedit, aut opprimit. Sed, si nostrâ

A

trâ

trâ memoriâ licuit eruditissimo viro Petro Danieli Huetio Commentarium scribere de rebus ad se pertinentibus ; cur mihi bonæ tantum conscientiæ pretio ducto non liceat etiam prodere memoriam illius , qui tanquam sibi supervivens & posthumus , gloriâ per sapientiam apud exteros adeptâ fruitur ; nostratum oblivione , in Alonensibus latebris , tanquam in æternâ domo requiescit , & tale sepulchrum sibi invenisse gaudet. Ergo mihi nunc narraturo Vitam Emmanuelis Martini , Decani Ecclesiæ Alonensis , nullam aliam nisi inconditi rudisque stili peto veniam. Nam etsi cursaturus sim sæva & infensa virtutibus tempora ; æquè mihi gloriosum erit, tanti viri famam sine gratiâ & ambitione propagare ; ac nonnullis facile , incoepto meo detrahere , propter ignorantiam recti invidiamque. Quibus licet freudentibus ; apud cordatos tamen sapientesque viros semper hic Liber, honori summi mei amici præceptorisque unici destinatus , professione amoris pietatisque , aut laudatus erit , aut excusatus.

I In eo Regni Valentini tractu, quem Illercaones olim tenuere , sita est Oropesa , obscurum olim oppidulum , jam verò clarissimum propterea quòd xiv. Kalendas Augustas Anni MDCLXIII. ibi natus fuit Emmanuel Martinus, qui sibi patriæque suæ , sapientiæ prærogativâ
cla-

claritudinem peperit sempiternam. Patriam ipse suam elegantissimè descripsit, oratione solutâ in epistolâ ad Cl. Virum Jo. Basilium Castelviniûm, datâ pridie Eidus Februarias Anni MDCCIII. Strictâ autem in Apasterosi, Elegiâ eruditissimâ, in quâ Arcam, vicennialium peregrinationum comitem, itinerum attritu ac vetustate fatiscentem, summo artificio & elegantiâ mirificâ descripsit, & quadam veluti consecratione inter Astra collocavit.

2 Ortus è Parentibus honestissimis laudatissimisque propter vitæ innocentiam suavissimosque mores: Patre scilicet Josepho Martino Oropefano, Matre Mariâ Zaragozâ Turralbinâ. Rei familiaris copiâ, ac facultatibus, satis instructis, ex agrorum proventu, ac re pecuariâ: quæ domus decorem dignitatemque abunde sustinebant.

3 Infantiam & huic proximam ætatem Oropefæ in gremio Matris transegit. Unde, cum annum ageret sextum, Turrem Albam translatus est, ubi literarum elementa didicit apud avunculum & aviam materteram.

4 Decennis Castulonem missus ut prima Latinæ linguæ rudimenta acciperet à Michaële Falcone, cujus nomen illis temporibus erat celeberrimum, propterea quòd vulgares Grammatices Institutiones aliquantulum reformaverat, edito *Compendio Syntaxe*, levidensi quidem

dem opusculo , sed in quo illud meritò laudes, quòd plerumque sequitur doctrinam Francisci Sanctii Brocensis , Grammaticorum Principis. Michaël ille Falco nominis sui sonitu deceptus irridendo fastu jactitabat , se originem ducere à Probâ Falconia : quæ Falconia , sive potius Faltonia , floruit anno cdx. fuitque avia Demetriadis illius Virginis à Sanctis Patribus tantopere laudatæ ; præterea Græcè & Latinè eruditissima , ut ejus opera testantur ; ingenio verò maximo , quod mirabiliter elucet in Jesu Christi Vita Virgilianis versibus contexta.

5 Cùm puer adhuc Castulone Grammaticæ daret operam , domum à parentibus accersitus , ut die octavâ Septembris sacris Dominicis interesset , quibus Virginis Matris dies Natalis peragebatur, more institutoque ejus familiaris ; cùmque à cœna ivissent cubitum , vixque lectum conscendissent ; fulmen in cubiculum decidit , ubi ipse ac parentes cubabant. Quod ter pueri lectum circumactum , foras erupit, omnibus illæsis præter servum , cui crura , manus , & brachia afflata atque ambusta.

6 Grammaticis præceptionibus imbutus anno ætatis suæ decimo tertio Martinus se contulit Valentiam Regni Metropolim , & amœnitatis sedem , ibique per triennium Philosophiæ operam navavit sub Magistro Vincentio Ste-

Stephano. Quo tempore, ut ipse postea dictabat, egregiè didicit artem exercendi præconium: intentus enim puerilibus nugis, de quæstiunculis suberis umbrâ levioribus, invictâ voce cum condiscipulis per multas horas contendebat.

7 Deinde se dedit sanctioribus Theologiæ Scholasticæ studiis, nactus præceptores eo tempore celeberrimos, Marcellum Maronam Valentinum, qui tranquillitatis amore, Episcopatu Oriolano abdicavit se postea, studiosam vitam iterum amplectens: Joannem Baptistam Scuderium Castulonensem, virum ingenii acutissimi: Franciscum Milanum Aragonium, Durandi Doctrinæ Professore, omnes Dominicanæ familiæ: & Antonium Pratensem Valentinum, Metropolitanæ Ecclesiæ Præpositum primum, ac deinde Canonicum. Sub quibus Magistris Theologiæ operam navavit quatuor annos.

8 At Martini ingenium disciplinarum orbis capax intra illa studia se continere non potuit. Itaque ut iis subsidiis animum instrueret, quibus munitus easdem illas disciplinas majori cum fructu ac voluptate excolere posset; humaniorum literarum studiis se commisit. Percommodè accidit, ut Valentia eo tempore maximè floureret studiis. Præsertim Poëtices, propter æmulationem duarum Academiæ,

Parnassi, & *Arcis*, per quas sæculum Poëticum renovare Valentia visa est, magno juventutis bono, quæ deliciis illis intenta voluptatis illecebris capi se non ita facilè sinebat. Ipse in Parnasso nomen professus est, & nomen illi potuisset facere, confluentibus in eum Musarum omnium ornamentis. In illa Academia innumerabilia panxit poëmata luxuriantis ingenii præclarissima indicia, & Poëticam facultatem jam in illa ætate indicantia. Josephus Rodrigezius, qui *Bibliothecam* scripsit *Valentinam*, etsi imperfectam, laudavit quatuor *Comœdias*, quæ in Theatris magno cum plausu actæ sunt. Præterea *Gigantomachiam*, Poëma heroicum octonis Rhythmicis versibus. Quæ omnia ipse severiori postea judicio, flammis commisit; sicut & *Sylvam* etiam quam publicavit, probante Cl. Joanne Turritano Guervio, hæreticæ pravitatis Inquisitore, viro ingenii amœnissimi. Scripsit eam *Sylvam* ad imitationem primæ Ludovici Gongoræ, profundissimi ingenii, & exquisitissimæ eruditionis viri, famæque etiam clarissimæ. Utinam & stili. Nam cum profanum vulgus nimis odisset, & à scriptis suis arcere vellet; scribendi genus adamavit, novis vocabulis refertum, translationibus & transpositionibus audax. Magno certè reipublicæ literariæ malo, cum imparis eruditionis homines, qui, si clarè loquerentur, in

in nullo essent pretio ; orationem obscurando (exemplo Gongoræ) sibi videantur ingeniosi, quia magno ingenio opus est ad intelligendum id quod vix ipsi sciunt. Utinamque aliquando sapere inciperent, ut Emmanuel Martinus, qui abjecto illo ænigmatico scribendi genere, perspicuitatem orationis & evidentiam mirificè sectatus est. Quo factum est, ut res non gestas, sed pictas oculis ipsi videatur proponere: non solum in Poëtica, quæ est Pictura loquens, sed in oratione etiam solutâ.

9 Præditus verò fuit cæstro Poëtico adeò mirabili, ut non immerito Poëtæ dicantur nasci: nam & decennis fecit Hispana Epigrammata (Nostrates appellant *Sonetos*) quæ publicari meruerunt ; & tantâ facilitate versus pangebatur, ut quicquid tentaret dicere, versus esset. Quod de P. Nasone & nostrate Felice Lupo Vega memoriæ proditum est. Quâ fiducia effundendi versus confisus, cum in cœtu nobilissimorum virorum, lectissimarumque feminarum, aliquando rogaretur ut recitare vellet Historiolam aliquam Poëticam ; respondit se memoriæ suæ mandasse nullam ; ex tempore tamen recitaturum quamlibet, argumento sibi proposito. Placuit præsentibus conditio, & argumento dato, subito calore, veluti novus Lucanus, magnum versuum numerum effudit, summâ audientium voluptate, & admiratione. Ejus-

dem extemporalis facultatis sæpè fecit periculum in Latinis versibus. In quâ linguâ ut aliquod ingenii, & eruditionis specimen daret, natus annos duodeviginti, scripsit viginti Elegias, quas inscripsit *Amaltheam Geographicam*.

IO Incredibile dictu est, ut omnium mentes oculosque in se converteret adolescentulus, præditus, cum mirificâ illâ facilitate pangendi carmina, aliisque ingenii virtutibus; tum facie liberali. Nec sine magno ejus periculo. Nam cum nobilissima femina adolescentem deperiret; ipse natus annos duodeviginti, ut absentiam suâ extingueret effrænem illum amorem, & à præsentissimo periculo se liberaret, ad Oscensem Scholam vetustate nobilem, tanquam ad Minervæ Asylum confugit, ibique mansit, donec feminae amore percitæ infano æstu defervescente, tutò Valentiam redire potuit.

II Animadvertit Martinus linguam Græcam omnis sapientiæ thesaurum esse, & absque illâ in studiis multum progredi velle, perinde esse, ac navigationem felicem velle conficere sine velis remisque. Verum ejus linguæ cognitionem appetenti Magister deerat, qui doceret illam. Sed cum opportunè Hesiodus quidam Græco-Latinus illi obtigisset ex supellectili libraria affinis cujusdam, qui tum decesserat; hunc quasi è cœlo missum arripuit, & in-

incitatus studio Græcæ linguæ discendæ, nomina propria, in quibus in utrâque linguâ vix ulla est literarum mutatio, conferre cœpit, & factâ quâdam analysi, collegit notavitque singularum literarum figuram proprietatemque; & Alphabeto sibi confecto, didicit Græcè legere, nullâ veræ pronuntiationis habitâ ratione.

12 Habent hoc præclari conatus, ut tamen effectû destituantur; prospero tamen successu nunquam careant, si homo eos suscipiat generosi spiritûs. Nam quod quis non potest unâ viâ adsequi, aliâ tentat. Sic Martinus, cum Valentia non haberet Præceptorem, aut monitorem aliquem idoneum, qui per certissimam veræ gloriæ viam se veluti manduceret; statuit Romam proficisci, sperans fore, ut in Urbe Principe Orbis adipisceretur Magistros idoneos ad quamcumque artem scientiamve. Itaque anno MDCLXXXVI. ætatis suæ vicesimo secundo jam exacto, Romam versûs iter suscepit, alacriterque confecit. Utque è diversorio sito ad quintum sextumve lapidem, æternam Urbem aspexit, ejus amore correptus, salutavit eam centum quinquaginta versibus, quibus cecinit laudes terrarum dominæ.

13 Ingressus Romam, veluti novo sapientiæ amore inflammari cœpit, ubi conspexit, vel bruta saxa & signa, multa eum docere posse.

Si-

Sibi venit in mentem, Jo. Picum Mirandulanum linguam Hebraicam intra paucos dies, Josephum Scaligerum Arabicam sine Magistro didicisse. Itaque æmulus virorum præstantissimis ingeniis, statim emit Institutiones Græcæ linguæ, quibus nullo usus præceptore, adeò egregiè operam navavit, ut exactis solùm septem mensibus, Ovidianam Ulyssis ad Penelopem Epistolam, Græcam fecerit. Tantumque brevi tempore in ea lingua progressum fecit, ut non minorem ac in Latinâ facilitatem scribendi loquendique adeptus fuerit: quam sibi comparavit quotidianâ scribendi exercitatione. Adhuc hodie servat aliqua Poëmata, quæ adolescentulus scripsit; & tamen partus videntur maturioris ætatis: ne unus Angelus Politianus in hoc gloriæ genere triumphet.

14 Mox dedidit se linguæ Hebraicæ, adeò felici progressu, ut spatio quadraginta dierum non solum legere, sed & literas pereleganter sciret appingere: &, quod est mirabilius, Institutiones Hebraicas tam brevi tempore imbibit. Agnovit statim angustissimum esse ejus linguæ campum, cujus finibus solùm continentur Testamentum Vetus, & Divi Matthæi Evangelium. Nam Rabbiorum lectio, fabularum & superstitionum feracissima, perquam apta est ad mentes animosque corrumpendos. Ea propter valedixit studio, quod licet sacram eruditione-

tio-

tionem appetentibus utilissimum sit ; viros alioqui cordatos , insipientes solet efficere.

15 Animadvertit Gallicam linguam omni scriptorum genere locupletatam maximè conferre ad eruditi hominis cultum ornatumque; eamque didicit , usus institutore , homine Gallo. Sed suoapte ingenio incitatus in amœnissimum bonarum artium campum se dedit : atque ut minus desiderarentur Sex postremi Factorum Libri Ovidiani , Duodecim ipse panxit miro artificio. Præterea edidit *Amaltheam Geographicam* Romæ , Typis Dominici Antonii Herculis , An. MDCLXXXVI. in 8. Quod opus Miscellaneum est , dividiturque in viginti Elegias , quarum argumenta indicavit ipse Auctor decem Distichis , quæ Josephus Rodrigezius transtulit in Bibliothecam Valentinam.

16 Anno elapso ex quo Romam ingressus fuerat , referri voluit in album Academicorum qui vocabantur *Infecundi*. Unde nactus fuit occasionem exercendi ingenii in pangendis versibus Etruscis , quibus ad miraculum excelluit.

17 Eodem anno Elegiarum Librum conscripsit , cui fecit titulum *Amorum*. In illis Camillam celebravit , ut Catullus , Tibullus , & Propertius , Lesbiam , Cynthiam , Deliamque. Quamquam illi fictis nominibus (si fidem meretur Apulejus) intelligebant Clodiam , Hostiliam,

tiam, Flaviamque) Martinus verò ingenii solum exercendi gratiâ sibi finxit Camillam, tum honestioris vitæ, quam Ovidiana Corinna, tum elegantioris ingenii; cum non solum ab se ad illam, sed ab illâ etiam ad se Elegiæ extant suavissimæ. Has Elegias Emmanuel Martinus, cum Gabriël Joannes Reginerius vir ingenii præclarissimi scripsisset Epistolas Eroticas Lycoridi cuidam, quas in amicorum cœtu, præfente Martino recitaverat; occasione arreptâ, Reginerio misit, qui celebravit eas ingeniosâ, & benè doctâ epistolâ.

18 Postea Tiberis alveo suo derelicto inundavit agros vicofque Urbis Romæ: Martinusque imitans Statium Papinium, *Sylvam* scripsit *De Tiberis Alluvione*, eamque edidit apud Joannem Jacobum Comarech, Anno MDCLXXXVIII. in 4. Donavit Sylvam illam Martinus Josepho Saënzio Aguirrio S. R. E. Cardinali Presbytero, viro sapientissimo recens in Urbem advenæ.

19 Cardinalis prudentissimus adolescentis ingenium & eruditionem supra ætatem admiratus; rogavit eum, ut apud se esse vellet, honestandus titulo Commensalis, & ut sibi esset à Bibliothecâ. Qui titulus summus est Romæ apud Cardinales & Principes. Martinus alacer conditionem admisit, nactus tam egregium stu-

studiorum patronum, & quod in votis maxime habebat, occasionem studia excolendi: & ut sibi videbatur, laborandi etiam in utilitatem publicam. Neque spes eum fefellit. Statim ei Cardinalis mandavit, ut adjuvaret se indigerendis Notis, quas ad Hispaniæ Concilia Nationalia, & Provincialia præparaverat, & in adversariis habebat. Quod Opus præclarissimum multos jam annos versabat, & prope jam amiserat spem ad exitum perducendi, quoniam idoneum ad illud perficiendum adiutorem invenerat nullum. Incubuit Martinus Aguirrii schedulis ordinandis, transcribendisque, studio sanè pertinaci: ac postea immortalis Operis editioni præfuit, quod Emmanuele Martino accurante prodiit anno MDCXCIV. magnâ cum Hispaniæ gloriâ, summoque Reipublicæ Christianæ bono; sed Martini valetudinis non exiguo detrimento. Etenim res erat summi laboris præparare exemplar quod duobus prælis sufficeret, & emendare ter singulas paginas. Quâ laboris assiduitate & contentione mirum in modum afflictâ fuit Martini valetudo; nam deficiente stomachi calore, cibum concoquere nequibat. Unde capitis dolores, & contumacissimi vomitus, qui singulis septimanis bis, aut ter, infestabant eum.

20 Adolescentiam ingressus eo morbo infestari solitus est, quem Græci vocant 'εΦιάλ-

την,

την, Latini *Incubum*. Non quidem nocturno illo, sed pomeridiano. Corripiebatur enim eo meridiationis tempore; cum fatali quadam ἀκίνησις atque ἀφωρία, totiusque corporis marcore, animo tantum excubante. Morbi autem vi in dies acrius sæviente, Eminentissimo Cardinale Aguirrio impulsore Marcellum Malpighium consuluit, medicum Pontificium, eaque tempestate nobilissimum. Qui eruditissimo responso causas morbi aperuit, Auctorem impendentis periculi admonuit, illique diætam præscripsit. Verum ille (ut est medicarum nugarum strenuus irrifor) molestissimâ curatione contemptâ, solâ capitis erectione liberatus est. Donec patriam reversus, salubrioris aëris beneficio tam infestum hostem à se amovit.

21. Sed licet Martinus Romæ esset adeò afflictâ valetudine; tamen studiorum intemperantiam vix cohibere poterat. Certè salutis suæ parum consulebat: nam etsi Conciliorum editioni incumberet; tamen illud tempus quod animo recreando tribuere debebat, in amœnioribus studiis excolendis impendebat, omnibusque viis tentabat ad immortalitatem ire.

22. Eo tempore de Homeri poëmate memoriæ tradendo (quod fertur de Fulgentio Ruspensi) seriò cogitavit. Tantoque molimini omnes machinas admovit. Sed cum vide-

deret fieri id minimè posse sine maxima temporis jactura, & reliquorum studiorum dispendio; aliunde autem vereretur, ut tanto labori sustinendo vires sufficerent; tam improbi conatus cogitationem abjecit: cùm bonam tamen Homeri partem devorasset.

23 Sed cum maximi viri ingenium otiosum esse non posset, libellum scripsit *De Poculis Veterum*, ubi universa quæ ad Veterum Pocula & Symposia spectant, discussit illustravitque. Quem Tractatum Alonæ postea ipse flammis commisit. Præterea oblectabat se in selectissimis M. Valerii Martialis Epigrammatis Græcè reddendis, imitatus M. Tullium Ciceronem, & Josephum Justum Scaligerum, quorum ille Arati Phœnomena; hic Sophoclis Ajacem Lorarium, Martialis etiam & aliorum Epigrammata aliquot, pluraque alia, quibus graviora studia intermittebat. Præterea Theocritum emendavit illustravitque Emmanuel Martinus Notis eruditissimis, quibus magno pere indiget Auctor ille, quasque utilissimum esset publici juris fieri. Etsi opus illud non est absolutum.

24 Paucis ante annis sub auspiciis Serenissimæ dum in vivis ageret, Christianæ Mariæ Alexandræ, Gustavi Adolphi filiæ, Suecorumque Reginae, Romæ instituta fuit Arcadum Academia, eaque in Regiis Hortis sub Monte

Au-

Aureo celebrari solita. Post Reginae obitum translata fuit ad Hortos Farnesianos in Monte Palatino sitos, in eundem scilicet locum, ubi Evander Arcas sedes olim fixerat. In eâ Academia cum de Legibus ferendis ageretur, Duodecemviri Legibus condendis creati fuerunt. Quorum unus fuit Emmanuel Martinus. Quas cum illi composuissent, eas postea advocatâ Arcadum concione promulgavit Janus Vincentius Gravina, Jurisconsultus eruditissimus, ingenio vir perpolitio. Quam orationem pro Legibus Arcadum, scriptam edidit postea cum aliis opusculis oppidò elegantibus. Moris erat in Arcadum Academia, ut qui in eam ingrederentur, nomen suum mutarent, sumerentque alterum Græcum, quod patriam demonstraret in antiquâ Arcadia contentam. Qua de causa Martinus vocari voluit Eumelus Olenius, id est, Pastor ovium pinguium, natus Oleni Arcadiae oppidulo.

25 Annus agebatur nonagesimus secundus sæculi decimi septimi, cum Senensis quidam, Cardinalis Petri Otthoboni à poculis, vir excellentis ingenii, sed effrænis linguæ, assumpto nomine Q. Sectani, spargere cœpit Satyras virulentissimas, quibus Romanos mores exagitabat, vera falsis involvens. Nam personæ tegumento confusus, invehebatur in optimos quosque viros, ac honestissimas feminas.

Præ-

Præcipuè verò venenata spicula dirigebat ad-
 versus Janum Vincentium Gravinam egregiæ
 doctrinæ, & nitidissimæ dictionis virum, quem
 veluti digito designabat sub nomine modò
 Philodemi, modò Bionis. Quod nomen illi
 erat inter Arcades. Mirum erat, quot quan-
 tisque laudibus Satyræ illæ efferrentur: adeò
 ut triumviri illi corrigendis moribus veluti na-
 ti, Horatius, Persius, Juvenalis, parum acu-
 tè vidisse Urbis vitia viderentur præ Q. Secta-
 no. Sed Martinus non potuit æquo animo fer-
 re Satyrici insolentiam, immoderatas Satyra-
 rum laudes, totque præstantibus viris femi-
 nisque illatas injurias, maximè Gravinæ suo:
 proptereaque tum venerandæ antiquitatis, tum
 honoris illis erepti vindicias in se recepit;
 scripsitque *Satyromastygem*, sive *Notas Criti-
 cas in Q. Sectani decem priores Satyras*. Qui
 liber ingenii validissimi videtur partus, licet
 Martinus eo tempore parum corpore valeret.
 Quam ob causam Georgio Baglivio celeberrimo
 medico se invisenti, *Notas suas* commu-
 nicabat, & per hunc misit Gravinæ suo xvi.
 Kal. Aprileis, An. mdcxciv. Qui Martino
 gratias egit maximas pro immortalis beneficio;
 rescripsitque literas tanto philosopho dignissi-
 mas. Neque his contentus, remuneravit pos-
 tea gloriæ suæ vindicem *Dialogo de Lingua La-
 tina*, ubi Emmanuelem Martinum induxit dis-

B

pu-

putantem, etsi non eâ dignitate quæ tanto viro conveniebat. Quamquam enim stilus est limatissimus; doctrina tamen puerilis, & tanto critico impar. Ut merito Gravinae voluntas; non autem retributio laudari debeat. At Satyromastigis stilus, acer, aculeatus, eutrapelus, festivusque simul. Itaque inter literatos eo tempore vix de aliâ re, quàm de Notis Criticis sermo erat. Eas legere, & exscribere negotium præcipuum. Omnes earum Auctoris admirari ingenium, celebrare acumen, utriusque linguæ præstantiam ad cælum efferre. Denique eò deventum, ut plures Legati Regii ad suos Principes miserint Notas illas. Præsertim Arcades Martino in Academiam ingredienti applaudere, & tanquam venerabundi assurgere ad tanti viri conspectum. Ut mirandum non sit, Martinum per vias publicas euntem, veluti Demosthenem alterum designari digito. Tanta erat apud omnes illius existimatio & reverentia.

26 Nec propterea Martinus de diligentia quicquam remittebat. Nam quò plus famæ adipiscebatur, eò magis cogitabat sibi decus & gloriam comparare ab omni literarum genere. Propterea tam in Poëtice Etruscâ, quàm in Latinâ mirificos progressus fecit. Nam triennio elapso, postea quàm Romæ vivere cœpit, Etruscos versus adeò facile pangebatur, ut admi-

mi-

mirationi esset ipsis Italis, qui planè in Musicis studiis Nationes omnes antecellunt. Præcipuè verò gratissimas ei aures præbebat Alexander Guidius Parmensis, Poëtarum Etruscorum illis temporibus Princeps, qui unà cum Regina Sueciæ, Christina Maria Alexandra conscripsit insigne Drama, cui titulus *Endymion*, & æstro Pindarico vertit Clementis XI. Homilias, quarum versionem sapientissimus Pontifex plurimi fecit; tantoque amore Auctorem prosequutus fuit, ut ei defuncto magnis sumtibus posuerit tumulum marmoreum.

27 Forte ridiculum videbitur; silentio tamen perpetuo minimè mandandum, quod inter alia contigit apud Alexandrum Guidium degentem in Palatio Farnesiano. Eò singulis hebdomadis eruditissimi viri confluebant eloquentiæ causâ. In illo cœtu gravissimo Emmanueli Martino facetiarum parenti præscriptum fuit argumentum *Pro crepitu ventris*. De quo orationem scripsit adeò purgatissimis auribus acceptam, ut Cardinalis Aguirrius celebritate plausuum permotus (tantus est in hominibus novitatis amor) eam audire voluerit, & in argumento levissimo, summi viri ingenium, dicendique copiam facetissimam admiratus fuerit.

28 Hæc erant ingenii Martini veluti laxamenta. Nam & suum etiam nomen professus fuit in Academia Dogmatica: in qua recitavit

B 2

ali-

aliquas Disputationes, quæ summo omnium plausu auditæ fuerunt: meruitque ut sapientissimus Aguirrius publicam adversus se disputationem haberet: in qua expertus fuit, quantus esset ille vir in Religionis Catholicæ Dogmatibus.

29 Præterea Martinus frequens adibat Bibliothecas, cùm privatas maximi nominis, Barberinam, Otthobonianam, alias; tùm publicas, ut illam Sancti Augustini, quam reliquit eruditissimus vir Lucas Holstenius; tùm etiam illam Sapientiæ, quam instituit Alexander VII. qui in eam ab Hildelberga deportari iussit celebrem Bibliothecam Palatinam, itemque Dynastarum Veronensium, cùm in illâ domo defecit proles.

30 In Bibliothecis illis, non solùm cum sæculorum omnium Magistris, sed cum viventibus etiam maximè celebribus jucundissimè vitam transigebat. Præcipuè verò frequentabat Bibliothecam Vaticanam, ut videret conferretque Codices antiquos, tam Latinos, quàm Græcos. Qua occasione, amore antiquitatis, quo flagrabat, nonnullos Codices manuscriptos pervetustos, præsertim Bibliothecæ Otthobonianæ, contulit cum editis exemplaribus melioris Notæ; ut ne tempus aliquod iners abiret. Solebat enim illud crebrò inculcare *πολυτελέστατον ἀναλωμα ὁ χρόνος*. Ex iis
Col-

Collationibus prægrande confecit volumen *Variantium Lectionum*. Sed in Hispaniam reversus ; cum librorum copiâ destitueretur, vidissetque nostrates hoc studii genus pro nihilo putare, & existimare ejus professores nihil agere ; animum despondit ; ac tametsi Collationes illas apud se retineret ; postea tamen discerpfit, anno nimirum MDCC. Quare dicere solebat, patriam sibi obstitisse, quominus aliquam sui memoriam posteris relinqueret.

31 Quo tempore autem Collationes illas conficiebat, lectione prope infinitâ se quoque conficiens ; cum ab amicis in eo genere studii, quodam veluti intemperantiæ vitio argueretur ; dicere solebat, ægrè se è vita discessurum, nisi prius legisset quicquid usquam superesset ex Latina & Græca antiquitate, quam non solum venerandam, sed quodammodo habebat sacrosanctam. Itaque anxie perquirebat quascumque invenire poterat prisca alicujus Scriptoris reliquias: fortunatissimumque se existimabat, si vel duos versiculos nondum editos inveniret: semperque in ore ferebat laudabatque immortalam illam diligentiam Cosmi Medicei Etruriæ Dynastæ, Nicolai V. Pont. Max. Ant. Augustini Archiepiscopi Tarraconensis, Nicolai Claudii Fabricii Senatoris Aquisextiensis, aliorumque similium, qui ut Manuscripta per

Orientem perquirerent, quibus literarum studia adjuvarent, nullis sumtibus pepercerunt.

32 Cum Martinus igitur vetera Manuscripta assiduè contrectaret versaretque; id inter alia assequutus fuit, ut uniuscujusque Manuscripti ætatem facillimè designaret. Præterea collegit cl. antiqua Epigrammata Græca nondum edita, quæ manu suâ descripsit ex antiquissimis Codicibus, & utilissimum esset, ut adderentur Anthologiæ Græcæ.

33 Interea dum Conciliorum editio absoluebatur, animumque Martinus in amœnioribus studiis pascebat, nova gloriæ seges ei parabatur. Nam Cardinalis Aguirrius, qui maximi illius viri Nicolai Antonii summus amicus fuerat, & in Salmanticensi Academia etiam olim studiorum comes; promissorum suorum memor ab heredibus ejus contendebat, ut Bibliothecam Hispanam Veterem prælo jam destinatam ad se mitterent sumtibus suis publicandam. Quam ubi vir summus obtinuit, Emmanueli Martino illam tradidit, ut editionem ejus curaret adornaretque. Cui rei plenissimum jus in egregium illud opus Martino concessit, ut videre est in Præfatione Cardinalis ad Lectorem, ubi ipse Aguirrius candidè confessus est, Notas ad marginem appositas nomine suo, non esse suas, sed Emmanuelis
Mar-

Martini, cui Cardinalis, qui Æsopream corniculam imitari nolebat, gloriam illius studiis debitam præripere noluit, & arrogare sibi; sed Auctori suo restituit integram. Prodiit Romæ opus immortale anno MDCXCVI. tanto omnium eruditorum plausu, ut fateantur omnes nullam aliam Nationem Bibliothecam habere ita omnibus numeris absolutam. Sed dolendum est, Bibliothecam Rabbinico-Hispanam (licet imperfectam) quæ tunc inveniri non potuit, post aliquot annos, jam vitâ functo Cardinale, Matriti inventam fuisse apud Hadrianum Koningium Nicolai Antonii heredem, cui Regia debet Bibliotheca summi illius viri Manuscripta omnia.

34 Interea Martinus maximi operis amore flagrans, cogitare cœpit de scribendo Latine Linguæ Etymologico Magno, quo lingua illa magnopere indiget. Nam quod superest ex Varrone Romanorum omnium doctissimo, magna ex parte puerile, ac futile est. Isidori Hispalensis ineruditum ac barbarum, non viri doctissimi, sed illorum temporum vitio. Centum & viginti libros *de Originibus Lingue Latine*, quos scripsisse dicitur C. Julius Cæsar Scaliger, memoriæ proditum est, conflagrasse in ejus domûs incendio. Gerardi Joannis Vossii Etymologicon, cæteroquin eruditissimum, & ingentis laboris judicii que opus; tamen est

diminutum , utpote posthumum. Denique Claudii Salmasii Etymologicon , quod ipse passim laudat in operibus suis , nusquam comparuit : cum tamen alia ejus opera posthuma edita sint : ut non injuriâ suspicari possis , Salmasium vendidisse fumos. In eum itaque finem Martinus Adversaria cœpit parare. Sed considerans postea , se non posse ad exitum perducere illud opus, neque Romæ, quoniam in Hispaniam esset rediturus; neque in Hispania, quoniam libris ad eam rem necessariis cariturus esset; ab incœpto destitit. Ne tamen conatum gloriosissimum omnino abrumperet, omnesque spes videretur ipse sibi velle præcidere, concilium cœpit cumulandi in schedas meditationes varias eodem collineantes.

35 Hoc vitæ instituto sibi conciliavit Martinus benevolentiam amoremque literatissimorum hominum , & aliorum quamplurimum dignitatibus præcellentium. Inter quos fuere amplissimi Cardinales , Casanata , Carpegnia, & Panciaticus. Maximè verò familiarissimi ei fuerunt Henricus Norisius , Bibliothecæ Vaticanæ primùm Præfectus , deinde Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis , vir ingenii acutissimi, magnæ sapientiæ , profundissimæ eruditionis, & Chronologiæ fax lucidissima.

36 Laurentius Zaccagna Bibliothecæ etiam Vaticanæ Præfectus , Græcæ Linguae peritissimus,

mus, qui Ecclesiastica Fragmenta Græcè scripta edidit cum eruditissimis Notis.

37 Philippus Bonarota Florentinus, Antiquarius Dynastæ Florentini, vir antiquitatis consultissimus, qui eruditissimè illustravit ediditque Numismata maximi moduli Musei Carpiniani, & alia opera exquisitissimæ doctrinæ.

38 Januarius Capellarius Neapolitanus præditus ingenio præstantissimo, & æstro Poëtico mirifico, qui Poëma scripsit *De Immortalitate Animæ*, illudque manuscriptum dedicavit Emmanueli Martino, & an luce publicâ donarit, incertum. At certè illud recitavit Auctor in congressu eruditissimorum virorum apud Ducem Parmensem, exitumque habuit tragicum, quem silentio præterire fatius est.

39 Marcellus Malpigijs, Medicus illustris, cujus nomen celeberrimum ob Anatomiam Plantarum, quam ipse edidit, & ob alia opera, quæ illo vitâ functo lucem viderunt publicam.

40 Hujus Discipulus Georgius Baglivius, Medicus illustris, toti Europæ notissimus.

41 Josephus de Julijs Romæ quondam linguæ Græcæ Professor in Collegio de propaganda Fide.

42 Antonius Malegonellus, editis Orationibus celeberrimus, quibus Martinus præmisit

fit Epistolam ad Lectorem anno MDCXCVII.

43 Præter cæteros verò ei fuit charissimus Janus Vincentius Gravina sobriæ cordatæque eruditionis vir, & nitidissimi stili.

44 Denique arctissimam necessitudinem habuit cum Raphaële Fabretto, & Joanne Ciampinio. His duobus comitatus ire solebat ad antiqua Urbis Cœmeteria (*Catacumbas* vocant) quæ subterranei sunt vici, in quos veluti cuniculi abdebant se primævæ Ecclesiæ Christiani, Æthnicorum persecutiones fugientes. Et adeò latè patent vieculæ illæ excavatæ, ut ad octo vel novem millia passuum extendi dicantur. Eò igitur propter innumerabilia antiquitatis vestigia, eorumque indagandorum causâ, eruditissimi viri ingrediebantur duabus facibus accensis, præparatoque etiam igne, ut si fortè illæ extinguerentur, iterum accendi possent. Præterea ut gressus dirigerent, atque revertere scirent (sunt enim illa Cœmeteria veluti quidam Laberynthi erroribus obnoxii) tanquam filo Ariadnæo, utebantur pyxide Nauticâ, ut ubicumque essent, poli situm noscerent, & egressum invenirent. Incredible dictu est, quot antiquitatis vestigia ibi observarent homines illarum rerum investigatores sagacissimi.

45 Neque his finibus Martini studia continebantur. In Sacello Pontificio Paulino, festo-

to-

toque die Sancti Joannis Evangelistæ, coram Innocentio XI. Pontifice Maximo, Sacroque Cardinalium Collegio orationem habuit summo auditorum plausu: deinde aliam ad Sacrum Collegium pro eligendo Summo Pontifice in postremo die Exequiarum Innocentii XI. Denique aliam in Basilica Lateranensi coram Alexandro VIII.

46 Hic adeò magnificiebat Martini merita, ut ei ad pedum oscula accedenti sæpissimè dixerit, num quid vellet? significavitque semel iterumque, ornaturum se illum dignitate amplissimâ, ubi primùm adveniret opportuna occasio. Per decem autem annos, quibus Romæ vixit Martinus, nulla alia dignitas, quæ illius animum alliceret, in Regno Valentia, nec in Diœcesi Dertusana, in qua erat natale solum Martini, vacavit præter Ecclesiæ Alonensis Decanatum, quem ipse veluti necessitate adactus à Pontifice Maximo petivit, obtinuitque altero die postquam supplices dedit Codicillos. Quos cum Innocentius XII. accepisset, lapideo stilo voluntatem suam declaravit in averfa charta, verboque adjunxit, *videri sibi Præbendam illam tanti viri meritis imparem.* Idque dixit Martino Cardinalis Panciaticus, eo tempore Prodatarius, Martinique egregius admirator.

47 Causa petendi Decanatum hæc fuit.
Lu-

Ludovicus Cerda Ecelestæ Princeps, Caroli II. Hispaniarum Regis Orator in Urbe Roma, optabat habere apud se Emmanuelem Martinum. Cardinalis Aguirrius, qui tunc erat Neapoli valetudinis recuperandæ causâ, contendebat eum non dimittere. Aiebat enim Martinum veluti pedes manusque suas esse, siquidem in ejus sedulitate & industria famam suam deposuerat. Hanc contentionem augebat clarissimorum virorum æmulatio, accedentibus etiam occultis simulatibus. Cùm autem videret Metymnensium Princeps, precibus se nihil obtinere posse; vim adhibere tentavit. Scripsit matri suæ, ut ab Hispaniarum Rege literas impetrare curaret, quibus Cardinali Aguirrio juberet, ut sineret, Emmanuelem Martinum esse apud se. Quod impigra femina enixis precibus usa, facillimè obtinuit. Itaque Martinus, qui mallet Romæ manere sub tutela Principis Ecclesiastici, cujus amorem & beneficentiam expertus fuerat, quàm apud sæcularem, licet excelsi animi, spes captare incertas; necessitati servire coactus fuit; sequutusque eum fuisset Neapolim ad Regni Præfecturam proficiscentem, nisi profectiois tempore æger fuisset, decubissetque cujusdam maleficii causâ, quod ipsa venefica confessa fuit, & ob illud crimen fustibus vapulavit. Ipso die quo Ludovicus Cerda ingressus fuit Neapolim, aliâ por-

portâ Aguirrius egressus fuit , ut ejus allo-
quium fugeret : cùmque Romam pervenisset,
Martinus , ei restituit claves Bibliothecæ , cu-
jus ipse Custos Præfectusque fuerat. Opportu-
nè tunc Alonensis Dignitas vacavit , quam,
cùm petere Martinus decrevisset , facile obti-
nuit , & residentiam poscente dignitate , in
Ecclesiam suam proficisci statuit. Martinus
igitur , & novæ dignitatis nuncium , & causam
in Hispaniam redeundi detulit ad Ecelestæ
Principem , qui de ejus dignitate multùm illi
gratulatus , respondit simul , ægrè se id ferre,
quoniam à sua spe se videret dejectum.

48 Eo tempore , anno scilicet MDCXCVI.
Martinus in ædibus Sapientiæ utriusque Juris
lauream accepit ; moxque iter in Hispaniam
suscepit : quod partim navi , partim pedibus
confecit. Nam Româ Barcinonem navigavit :
inde pedibus Oropesam pervenit , trajecto Ru-
bricato, ascensis Scalis Hannibalis, Tarracone,
& Dertossa, quantum per angustias temporis li-
cuit , lustratis. Patre suo salutato , Alonam se
contulit : in quam Urbem pervenit ejusdem
anni die penultimo ; Dignitatis suæ possessio-
nem iniit ; & anno MDCXCVII. ineunte sacros
Presbyteri Ordines suscepit usus interstitio-
rum venia , quam secum in eum finem ab Ur-
be attulerat ; quo tempore annum agebat quar-
tum & tricesimum.

Bien-

49 Biennio elapſo de ſubſtituto cogitare cœpit, propterea quòd exagitabatur contumaciſſimis capitis doloribus provenientes ex maritimis illis & meridionalibus ventis natura ſua humidiffimis, qui Alonam infeſtare ſolent. Qui capitis dolores, præterquam quòd aſidui erant, adeò etiam graves & peracuti, ut noctes infomnes tranſigeret; accedente vomitu moleſtiſſimo, per quem ejiciebat magnam copiam bilis flavæ ac porraceæ. Accedebat præterea, hominem aſſuetum maximorum virorum conſuetudini, eorum deſiderio literarumque tabeſcere, quas in illo Emporio colere pro votis non poterat. Itaque Romam remigrare cogitabat. Neque levis momenti hæc cauſa fuit, ut ei Pontifex concederet facultatem eligendi Vicarium: nam petentis ætas adhuc erat tenera, & reſidentia tempus nimis breve. Anno igitur MDCXCIX. ſibi Vicarium cooptavit Cl. Joſephum Anaſtaſium Martinum, probiſſimum & prudentiſſimum virum, qui Matriti deceſſit anno MDCCXXXI.

50 Emmanuelem Martinum Romam ire cupientem plurima negotia invaſerunt, quæ conſilium ejus retardarunt, & coëgerunt eum in Hiſpania manere. Triennio tamen poſteaquam Alonæ fuerat, Valentiam, Urbem amœniſſimam, ſaluberrimamque migravit, ſperans ibi fore, ut major occaſio eſſet communicandi
cum

cum viris doctis. Et profectò in ea Urbe sibi arctissimo necessitudinis vinculo conjunxit nobilissimum virum Jo. Basilium Castelvini Comitem Cervillionis, Vincentium Turrefium, ornatissimum eruditissimumque juvenem; Thomam Vincentium Toscam Valentinum Congregationis Oratorii D. Philippi Neri Presbyterum, Theologum summum, Compendii Mathematici Scriptorem celeberrimum, Philosophiæ apud nostrates Instauratorem egregium, denique virum morum suavitate & candore prope incredibili, qui Valentia postea decessit mense Aprili, An. MDCCXXII. Vixit etiam conjunctissimè cum Jo. Bapt. Coracciano Theologo sapientissimo, Philosopho & Mathematico insigni, Auctore *Arithmetice Demonstratae*, quam juvenis in lucem emisit. Idemque postea scripsit *Vitam Sancti Petri Martyris*, & *Sancti Francisci Paulini*, quorum operum stilius facilis apertusque, suavissimos ejus mores candoremque referunt. Sed tamen edita ab illo opera, etsi doctissima, sapientiam ejus pro dignitate minimè declarant. Nam modestissimus vir suppressit quamplurima scripta ad Mathesin spectantia: in cujus studiis vir laboriosissimus principatum tenet in Hispania: utpote qui annos LVI. summa animi contentione in iis insudavit. Neque hujus vigiliis parum debent scripta Thomæ Vincentii Toscæ,
cui

cui Coraccianus sua facile semper communicavit.

51 Sed Martinus neminem sibi arctius junxit, quam Josephum Emmanuelem Mignanam è Trinitariorum Calceatorum Sodalitio, qui multum debuit Decani Alonensis monitis, & institutioni; tum etiam patrociniò, utpote illo fautore, Rhetorices Professor in Academia Valentina factus est. Quam professionem abjecit postea, ut Historiæ scribendæ vacaret. Itaque & *Bellum Rusticum Valentinum* scripsit, sive De Austriacorum Fœderatorumque ingressu in Regnum Valentia; & Jo. Marianæ Historiam de Rebus Hispaniæ gravissimè continuavit usque ad obitum Philippi II. Hispaniarum Regis. Quam Historiam magnificè quidem, & eleganter, sed typographorum incuria parum emendatam, An. MDCCXXXIII. Hagæ Comitum publicavit, & Ferdinando Borbonio Asturum Principi dedicavit Hyacinthus Joverius, optimæ spei adolescens, Illustrissimo Barone Jo. Theodorico Schombergio negotium promovente; urgente autem & peragente Gregorio Majansio, Patricio Oliveni, & Antecessore Valentino, nunc Hispaniarum Regi à Bibliotheca.

52 Hi erant præcipui Emmanuelis Martini amici. Quorum aliqui inter se amebœas Epistolas scribebant, jussitque Martinus, ut non
nulli

nulli mutarent nomina. Unde factum, ut Jo. Basilius Castelvinius Cervilionis Comes, diceretur Basilius Pyrgopalæus, habitâ ratione nominis gentilitii, Gotholanorum linguâ significantis *Castrum vetus*: Vincentius Turrelius, Nicius Pyrgæus, sicuti olim Joannes Victorius Rossus, Janus Nicius Erythræus: denique Emmanuel Martinus, Theophylactus Areus, ut prænomen nomenque suum exprimeret. Quo factum est, ut aliquando hæc nomina in Epistolis manserint, etiamsi Inscriptiones aliæ substitutæ sint, ut Lector sciret, quis cui scriberet.

53 Hi omnes conveniebant in Bibliothecam Castelvinianam plurimis optimisque libris instructam. Quam, cum Martinus versaret, invenit Manuscriptum pretiosissimum Cl. viri Ferdinandi Ruizii Villegatis Poëtæ eximii, qui sub Carolo V. & Philippo II. Hispaniarum Regibus vixit. Fuit is discipulus magni Ludovici Vivis; & Gundisalvi Illescæ, Historiæ Pontificalis Scriptoris celeberrimi, Joannis Verzosæ cordatissimi Poëtæ, Guilielmi Budæi eruditissimi viri, aliorumque similium familiarissimus. Quanti fecerit Martinus invenisse thesaurum illum absconditum, declaravit ipse, tum in Epistola, quam scripsit Valentia Edetanorum, An. MDCCII. ad Jo. Gabrielem Reginerium; tum in Præfatione ad Lectorem, quam Poëtæ illi præfixit postea cum Ma-

C

tri-

triti esset anno MDCCV. Poëtam illum præclarissimum ab eruditissimo viro Nicolao Antonio obiter tantum laudatum, Hispanisque Scriptoribus incognitum (si excipias maximum virum Antonium Augustinum, qui in Manuscripta sua Bibliotheca habuit quandam illius Eclogam manuscriptam in obitum Ludovici Vivis, inscriptam Mencia Calabria & Zenedi Principissæ; & Laurentium Vanderium, qui in *Philippo Prudente* inter Hispaniæ decora recensuit) innumerabilibus mendis scatentem, ab exscriptoris inscitia Martinus vindicavit, purgavit, emaculavit, & è conjecturis emendatum pristino nitore restituit. Ornavit etiam eundem eruditissima Præfatione ad Hispanam Juventutem, cui dedicavit opus, mittens illud Cl. viro Jo. Basilio Castelvino, qui ejus editionem in se recepit An. MDCCV. cujus adhuc est debitor, spesque proxima est, propediem Venetiis liberaturum fidem suam.

54 Verum hæc severioris studii veluti diverticula erant: nam ubi pedes fixit Valentia, incepit è lingua Græca in Latinam vertere Eustathii Ep. Thessalonicensis Parecbolas in Homerum Poëtarum Principem, vastissimum opus, & ante illud tempus, ut insuperabile derelictum, vel propter ejus vastitatem, vel propter vertendi difficultatem: cum summa industria necessaria esset ad vertenda Latine quæ pertinent

nent ad linguæ Græcæ cognitionem. At Laurentius Zaccagna, Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, Græcæ linguæ peritissimus, cum videret eas difficultates à Martino posse superari; cum ab Urbe Roma ille discederet, & in Hispaniam proficisceretur, præclarum illud opus ei dono dedit, ut Latinum faceret, multum eum hortantibus Raphaële Fabretto, Philippo Bonarrota, aliisque viris eruditissimis. Summâ igitur alacritate Martinus operi se accinxit, animos augente facilitate vertendi, quam ipse experiebatur. Accedebat Marchionis Villanovani auctoritas, qui Parisiis opus urgebat, promittens se curaturum editionem, eamque fore nitidissimam. Tanto autem ardore in illud opus incubuit, ut ne sibi quieti utilissimique ad elucubrandum temporis pars, nocturni scilicet, elaberetur, reliquerit abjeceritque cœnandi consuetudinem: eo consilio, ut Minervæ noctes consecraret. Unde incœnatus vixit septendecim annos, consuetudine illi veluti alteram naturam indente.

55 Dum Valentiaë esset Martinus, cupido ejus animum incessit, lustrandi antiquitates Saguntinas. Eò itaque se contulit, unâ cum juvene Cl. Vincentio Turrefio. Egregium illud prisce ævi monumentum lustravit oculis. Neque verò operam lusit. Extraxit enim è densissimis tenebris Theatrum quoddam ad

eam diem ignotum, nec ulli mortalium observatum adnotatumque. Etenim Scriptores Valentini, qui res patrias literis consignaverunt, meras nugas deblaterant: cum non Theatrum id appellent, sed Amphitheatrum, pro amphora urceum. Quorum inscitiam ipsa operis structura ostendit. Monumento illo lustrato Oropesam Patriam suam Martinus petiit, ineunte anno tertio sæculi decimi octavi. Aliquot ibi menses commoratus, Valentiam rediit, ubi à mense Octobri anni MDCXCIX. sedes fixerat, ibique vixit jucundissimè quatuor annos novemque menses. Quinto decimo enim Kalendas Augustas anni MDCCIV. Mantuam Carpetanorum sedes suas transtulit; cujus migrationis causa hæc fuit.

56 Ludovicus Cerda Ecelestæ Princeps, Neapoli Matritum redierat Proregis officio functus. Cùmque intellexisset, Decanum Alonensem habere Vicarium, & Valentia degere, antiqua desideria eum apud se habendi iterum animum ejus inceserunt. Literas misit ad Decanum, quibus impensè rogavit, ut ad se veniret, invitans eum honestissimis conditionibus: quibus Decanus, si viri comis officiis fungi vellet, adversari non poterat. Assensit igitur, & mense Julio Anni MDCCIX. Urbem Regiam petiit. Quem ubi vidit Ecelestæ Princeps, exclamavit Deo se agere gratias; pro-

te-

tereâ quòd tandem obtinuiſſet, quod per octo annos optaverat. Decano Alonenſi domus erat præparata, ſatis ampla, tabellis pretioſiſſimis inſtructa, ac omni ſupellectile. Ludovicus Cerda ſtatim ei tradidit claves, tum Bibliothecæ ſuæ, quam Neapoli advexerat, quæque Marchionis Carpienſis fuerat; tum Muſei, in quo erat collectio pretioſiſſima Numiſmatum auri, argenti, æriſque, quam Neapoli emerat, totque numiſmata continebat, ut ad ſeptem millia numero pervenirent prætermiſſis viro- rum & mulierum illuſtrium, ac ſerie item ſum- morum Pontificum. Erat præterea magnus nu- merus Cimeliorum antiquorum omnis generis, ut ſigna ænea, claves, lucernæ, ſigilla, annuli ſignatorii, fibulæ, armillæ, ſtrigiles, phyalæ unguentariæ, acerræ, vaſa ſacrificialia, urceoli lacrymatorii, pondera, amuleta, abraxæ, de- naria, denique gemmæ omnis generis, non eæ quidem inertes, infanæ avaritiæ oblectamen- ta, & humanæ fortis ludibria; ſed ſcitæ illæ & elegantes, quarum amor non niſi illos tangit, quos philologia.

57 Incredibile dictu eſt, quantâ voluptate perſuſus fuerit Decanus, cum ſe collocatum vidit in illis deliciarum campis: maximèque cum ei dixit Eceleſtæ Princeps, nolle ſe ut nu- miſmata quæ erant in Bibliotheca ad Hortum ſitâ, ibi manerent, ſed velle ut ſecum in ſuum

conclave ferret, ut commodius iis fruere-
 &, cùm liberet, interpellante nemine, ordi-
 nare posset.

58 Existimabat Decanus se mortalium
 omnium fortunatissimum esse. Lucullorum
 Crassorumque divitiæ præ illis quas tractabat
 ipse, sibi sordebant. Fuerat enim semper His-
 toriæ rei nummariæ amantissimus, votique
 compos factus, omnem animi mentem ad il-
 lam appellere volebat. Quod ille faciebat eò
 majori cum fructu & voluptate (sine quibus
 studia literarum inania sunt & vanissima) quò
 magis iis doctrinis animum ornaverat, quæ
 maximè conducerent ad totius antiquitatis
 ideam veluti ante oculos repræsentandam. Dis-
 ciplinarum enim orbe animum instruxerat, ra-
 tus studium nummarium, utpote mutum, abs-
 que omnigenæ eruditionis notitia infructuo-
 sum esse. Quo literarum præsidio qui destituti
 sunt, hujusmodi studia, curiosa magis, quàm
 utilia existimant. Nimirum isti Albii assuevere
 pecuniam valore solùm æstimare; & perinde
 quasi nunc vigerent illa tempora, in quibus
 aurum, argentum, æs, rudia adhuc erant, neque
 conflabantur feriebanturque, sed solo pondere
 æstimabantur; persuaserunt sibi, antiquitatis
 observatores prodigere tempus, operamque
 ludere, dum prisca illa monumenta intuentur
 & contemplantur: ignari prorsus, certissima

ve-

veritatis monumenta, & incorruptæ Historiæ notitiam inde erui. Nam studium hoc metallicum muta quædam Historia est, in qua videtur id ipsum quod in libris legitur, & multò plura quàm quæ leguntur. Per illud enim obiciuntur oculis ipsis Imperatorum successiones, uxores, liberi; horum omnium vultus ad vivum expressi, ut conjiciatur ætas; &, quod est mirabilius, res ipsæ gestæ. Præterea oculis ipsis intuendæ proponuntur, fabricæ publicæ, ut templa, aquæductus, pontes, portus maritimi, theatra, arcus triumphales, & similia. Discuntur etiam in numismatis sacri prophætanique gentium ritus, Sacerdotia, Magistratus, Collegia, adoptiones, mores militares, insignia, allocutiones, donativa, congiaria, conciones, arma, vestitus, expeditiones. Cærimoniarum item, Deorum Dearumque nomenclaturæ, quarum alioqui multæ incognitæ essent. Præterea Orthographiæ antiquæ certissima ratio. Denique Tribunitia potestas, quæ est thesaurus temporum.

59 Harum itaque rerum & similium cognitione instructus Martinus, versabat illa numismata tanto cum fructu & voluptate, ut miraculo esset viris eruditis, posse quenquam pervenire ad eam prisca avi cognitionem. Quæ tanta erat, ut Ecelestæ Principi, aliisque Hispaniæ Magnatibus persæpè mirantibus repente

Martinum declarare, quinam essent illi, qui in quibuslibet numismatis sibi oblatis designarentur, non semel dixerit Decanus, non inani sui fiducia elatus, sed suæ conscientia testimonio fretus, se, si Imperator aliquis imperii alti, quod in Gallienum desinit, revivisceret, designaturum illum, manuque prehenfurum, vel si occultare se vellet inter multa hominum millia. Sic igitur instructus, numismatis in seriem redigendis omnes industriae ac diligentiae nervos intendit, adjectâ unicuique notâ Chronologicâ, anni in quo percusus fuerat nummus. Ea quæ pertinebant ad Cæsarium seriem à C. Cæsare usque ad Heraclium ordinavit. In alios ordines rejecit quæ ad Græciam utramque, & celebre illud antiquitatis theatrum, Siciliam, pertinebant. Grajos item Reges & Tyrannos ordine disposuit. Quæ ad Romanorum pertinebant familias, seorsim centuriavit, & elementorum serie digessit, exemplo summi viri Fulvii Ursini. Hispania item Municipia & Colonias. Unde colligi potest, quantâ voluptate perfunderetur, cum à prima origine per interruptas series Historiam Romanam, Græcam, aliarumque Nationum, contemplaretur.

60 Cùm autem Martinus consideraret possessionem illam numismatum precariam esse; ne postea careret suavissimo fructu studiorum
suo.

suorum, undecumque poterat, sibi numismata parabat: adeò pecuniæ prodigus, ut ad emenda illa aliquando demeret aliquid de alimentis suis.

61 Cum Emmanuelis Martini eruditio nemini non esset nota, & ejusdem consuetudo jucundissima, ejus amicitiam ambiebat optimus & eruditissimus quisque.

62 Annus itaque agebatur hujus sæculi quintus, cum Matrili erat Antonius Felix Zondadarius, Archiepiscopus Damascenus, & Clementis XI. Pontificis Maximi Legatus apud Philippum V. Regem Catholicum. Is fratrem habebat apud se Alexandrum Zondadarium, Ecclesiæ Senensis Archipresbyterum, Abbatem Divi Salvatoris, & Præpositum Pistoricensem, evectum postea ad Archiepiscopatum Senensem. Uterque summopere diligebat Martinum propter egregiam eruditionem, præclarissimas virtutes, & eximium cultum. Cum igitur diu multumque cogitaret Martinus, quonam potissimum judicii genere memorem acceptorum ab illis beneficiorum animum mentemque significaret; nullum ei visum est, nec sincerius, nec præstantius, quam si aliquo studiorum suorum monumento initæ ab illis gratiæ testificationem posteris exaratam relinqueret. Præsertim cum eo semper in Martinum fuissent animo, ut ingenium ejus & literas, maximi fa-
ce-

cerent. Igitur monumento literario utrumque sibi arctius devincire constituit.

63 Emmanueli Martino opportunè venit in mentem, Epigrammatum Græcorum Collectione, quæ *Anthologia* nomine circumfertur, vix aliquod ad posteros pervenisse eruditæ antiquitatis monumentum, vel utilius, vel illustrius. Multi enim qui benè de literis meruerunt, longâ oblivionis caligine obvolverentur, nisi eorum nomina, per illas veluti propagines ad ævum essent præsens transmissa & propagata. Multorum etiam scripta funditus intercidissent, quorum desiderium præsens sæculum conficeret. Accedit argumentorum varietas, sententiarum acumen, facetiarum lepore, multiplex rerum abstrusarum notitia, totiusque antiquitatis veluti complexus. Unde tanquam è penu locupletissima, quidquid libuerit, depromere licet. Tanti igitur operis dignitatem cum animo suo reputantem Martinum subiit cogitatio de Auctore ejus Collectionis: præsertim cùm videret eam rem eruditorum plerisque ignotam, aliquibus verò non benè compertam: omnibus denique negotium faceffere. Quæ quidem cura cùm acrius Martinum pupugisset, omnes jam adhibuerat nervos ut illam rem erueret, operique altius se accinxerat; cùm incidit opportunè in Epistolam quandam Leonis Allatii ad Gabrielem Nau-

Nau-

Naudæum, quæ exstat in Responsis Fortunii Liceti ad Quæsitæ per Epistolas. In qua vir ille eruditissimus Martini diligentia præcurerat, consulto etiam insigni illo Palatino Codice, nunc Bibliothecæ Vaticanæ, quem Martinus illi rei indagandæ accuratius evolverat: copiam sibi faciente Laurentio Zaccagna, ejus Bibliothecæ Custode, sibi que, quandiu egit in Urbe, omnibus officiis conjunctissimo. Igitur ab ea cogitatione tum retractus, aliò animum adjecerat. Tametsi non diffideret, se illa ipsa quæ Allatius scripserat, longè uberius, atque enucleatius, mandare literis posse. Nam ille, ut canis Nilum, obiter tantum ac in transcurso, argumentum illud delibavit potius, quàm absolvit. Totius autem rei accuratius explanandæ cupidine quadam, cum Matrini esset Martinus, denuò tactus, ea quæ super illa re comperta sibi erant in medium proferre voluit; confusus fore, ut suus ille labor, Græcarum literarum studiosis, nec inutilis omnino evaderet, nec injucundus. Disputationemque illam sanè quàm implexam, sibi enodandam suscepit, enodatamque misit Alexandro Zondadario fautori suo. Cujus disquisitionis summam, quam ipse Martinus confecit, misitque eruditissimo viro Gaspari Mendoza & Segovix, Marchioni Mondexarensi, & Agropolitano; operæ pretium est huc transcribere penè ad literam.

Pri-

64 Primus omnium qui Græca Epigrammata collegit, fuit Meleager quidam Phœnix, Eucratis filius, Patriâ Gadareus, qui vixit sub Seleuco Philopatore, Antiochi Magni filio, qui Regnum iniit Olympiadis cXLVIII. anno primo, Æræ Seleucidarum cXXVI. ante Christum natum cLXXXVI. Eamque Epigrammatum Syllogem inscripsit CORONAM. quam texuit ex Poëtarum à se collectorum nominibus, suo cuique tributo, vel flore, vel fructu. Cujus Coronæ pancarpia exemplar Martinus attulit, exscriptum ex vetustissimis membranis Palatinis, quæ Heidelbergâ Romanam translatae fuere, & nunc exstant in Vaticana Bibliotheca. Post Meleagrum, Philippus Thessalonicensis, æmulandi studio, ut ipse fatetur, novam Collectionem orditus est, quam itidem appellavit Στεφανον, tanquam accessionem quandam ad Meleagream. Quod constat tum ex Scholiaste ἀδῆλω ad oram Codicis Palatini, tum ex ipsius Philippi *Corona*. Vixit hic Auctor temporibus Cæsaris Dictatoris & Octaviani Augusti. Quod docent ejus Epigrammata, in quibus utrique impudenter blanditur. Narrat præterea tanquam eo tempore evulgatum portentum illud de palmâ sub statua Cæsaris inter coagmenta lapidum Trallibus enata & Tarracone in ara Augusti. Meminit etiam navalis pugnae ad Actium. Tertius Epigram-

ma-

matum Collectioni manus admovit Agathias, five Agathius Scholasticus, Memnonii Rhetoris & Pericleæ filius, patria Myrinæus, ex Urbe Myrina, in Asia minori Æolensium Colonia ad ostia Pythici fluvii. Hic Smyrnæ Jurisprudentiam publicè professus est, unde illi cognomen *Scholastici*. Floruit sub Justiniano Imperatore, cujus res gestas consignavit literis post Procopium Cæsariensem. Hic igitur novam quandam adornavit Collectionem, quam inscripsit *Κυκλον*, teste Suïda. Etsi Agathias in Præfatione ad suam Historiam, non *Circulum* ab se fuisse inscripta ea Collectanea prodit, sed aptiore vocabulo, *συλλογήν*. Quam nuncupavit Theodoro Decurioni. Deinde Constantinus quidam cognomento Cephalas, hæc eadem Epigrammata, quæ literarum ordine fuerant digesta, in unum confudit, divisitque in capita diversa: separatim nempe *ἔρωτικά*, & *ἀναθηματικά*, & *ἐπιτύμβια*, & *ἐπιδεικτικά*, ea ratione qua hodie in Codice Palatino digesta sunt. Quæ omnia disertè tradunt Scholia marginalia anecdota ad *Coronam* Meleagri. Tandem Maximus Planudes Monachus Constantinopolitanus, qui An. MCCCLXX. florebat, Collecta veterum studio Epigrammata amputavit sine ingenio, sine judicio. Multa enim ex illis demessuit, quibus defraudare posteros piaculare fuit. Multa reliquit, quibus

bus

bus carere sine jactura facile possemus. Sed homo lepidus ex ingenio & captu suo cæterorum studia dimensus est. Nihilque existimavit aliis voluptatem allaturum, præter ea quibus ipse delectaretur. Quamquam alioqui doctus, ut testantur non pauca ingenii sui egregia monumenta. De Anthologiæ Collectore ita Martinus.

65 Neque minori obsequio sibi demeruit Antonium Felicem Zondadarium, quocum sermones cum fereret; ut sunt ferè colloquia, & varia, & aliud ex alio elicientia; casu Theatri Saguntini incidit mentio. Quod cum à se delineatum, omnibusque numeris expressum dixisset; Antonii Felicis Zondadarii pervasit animum illud videndi cupido, unà cum Notis, sive Descriptione quadam à Martino adjectâ obscurissimæ rei explanandæ gratiâ. Tenebatur enim vir ille incredibili antiquitatis amore. Cujus rei Sagunti præclarum reliquit testimonium. Cum enim Martinus eò se contulisset, antiqua illa monumenta visendi gratiâ, legendisque Inscriptionibus operam daret; animadvertit literarum ductus atro quodam bitumine illitos, quo leviori operâ legi possent, oculique minus laborarent. Cumque Martinus rei novitate perculsus, à Mignana quævisset. Quisnam mortalium tam accuratâ diligentiam usus? certè nostratem non esse: respondit

Mig-

Mignana : Illustrissimum Zondadarium Legatum Pontificium , qui proximis diebus illac transferat , Roma adveniens. Præclarissimum igitur monumentum illud Zondadario Martinus ob oculos posuit , eidemque simul tradidit eruditissimam illam Epistolam de Theatro Saguntino , quam inter suas publicavit Gregorius Majansius , Generosus Valentinus , & ante eum eruditissimus vir Bernardus Monfalconius Benedictinus in celeberrimo opere *Antiquitatis illustratæ*. Neque contentus fuit Martinus Theatrum illud stilo suo nobilitasse ; sed ut ejus diuturnitati incolumitatisque , quantum fieri posset , consuleret , undecimo Kal. Aprilis An. MDCCV. publicè literas dedit amplissimis spectatissimisque Quatuorviris Saguntinis, cæterisque Decurionibus , per quas eos exhortatus fuit ad lacera illa & discerpta Urbis fide ac virtute nobilis & ærumnis inclytæ membra asservanda : enixèque oravit , ne finerent dirui, excindi, evertique , præclara illa monumenta, pristinæ gloriæ indicia. Quatuorviri Saguntini (Josepho Emmanuele Mignana eorum jussu rescribente) Emmanueli Martino gratias egerunt Eidibus Aprilis ejusdem anni ; pollicitique sunt , non aliter ac carissima pignora curaturos se illa rudera conservare immunia ac libera ab omni maleficio ac injuria.

66 Per illa tempora fortè Matriti aderat

Joa-

Joachimus Alcarazius Valentinus, adolescens melioris ingenii, quàm judicii, quique ante ætatem nimis sapere sibi videbatur. Hic Decanum adibat, eruditionem ejus suspiciebat, & ad altra ferebat. Martinus adolescentis spes mirificè fovebat, & quantum poterat non solum consiliis monitisque promovebat; sed etiam institutionibus Græcis illum imbuit, rogatu patris hominis sanctissimi, & juvenis obsequio. Scripta sua facilè ei communicabat, & inter alia Descriptionem illam Theatri Saguntini, describendam dedit. Quæ res occasionem postea dedit maximis turbis. Ille vicissim quicquid exarabat, deferebat statim ad Martinum. Scripsit *Socratem*, sive *De Felicitate Sapientis Dialogum*. A Decano enixè postulavit, ut opusculum illud recognosceret; nam nisi ita faceret, juravit, se illud traditurum flammis. Precibus devictus Decanus legit illud opusculum; cùmque animadvertisset, nihil aliud esse, quam Ciceronis centones pessimè confutos, candidè & amicè indicavit ei judicium suum. Quod adeò agrè tulit Alcarazius, ut ex eo tempore aversâ fuerit voluntate in Martinum.

67 Hic, posteaquàm numismata digesserat, Dissertationesque illas de Veterum Epigrammatum Collectore, & de Theatro Saguntino conscripserat, inter vertendum Eustathium Homericum (à quo nunquam penitus dis-

discessit) aliò mentem intendit. Vertit enim Historiam Olympiadum Phlegontis Tralliani, Imperatoris Hadriani liberti doctissimi. Quà versione felicissimè ad exitum perductâ, parare cœpit adversaria, conficiendarum Notarum gratiâ in Olympiadas illas. Cùm autem libris necessariis ad perficiendas Notas careret, aliò animum intendit.

68 Semper amantissimus fuit M. Tullii Ciceronis, quem non minùs suspexit ob admirabilem illam eloquentiam, quàm ob philosophandi præstantiam. Cum igitur anno hujus sæculi sexto Ciceronis quartum Tusculanarum librum legeret, lectione illa inflammatus, quodamque veluti œstro percitus, incœpit scribere Tractatum ΠΕΡΙ ΠΑΘΩΝ, sive *De Animi Affectionibus*. Operis idea nova. Primum ponit quatuor radices principales, unde oriuntur omnes affectiones nostri animi, tanquam fibræ; sequuntur semiaffectiones; & has affectionum veluti proclivitates. Separat enim eas quæ sunt rerum quas sequimur ab iis quæ sunt rerum quas fugimus & odimus. His accedunt ingeniosissimæ aliæ subtilitates, quæ propter novitatem exquisitæ disputationis, legentis animum alliciunt. Emmanuelis Martini consilium in hoc opere erat, manifestare & patefacere radices & causas affectionum, vimque uniuscujusque. Modus cogitandi, concipiendi, edendique sententias, validus, perspicuus, acutus.

D

Opus

Opus tamen ipsum imperfectum. Nam licet anno sexto, summo conatu illud scribere aggressus fuisset, & per intervalla temporis, incredibili alacritate continuasset anno sequenti; tamen scriptionis filum abrumpere coactus fuit, de tranquillitate mentis dejectus. Nam ea tempestate bello sæviente Martini Patria periit, domus ejus transmigravit, Pater decessit, Alona capta; cessaruntque omnia subsidia ad vitam tolerandam: quibus calamitates aliæ supervenere. Unde maxima tristitia mœrorque animum ejus invasit. Ex melancholia supervenerunt flatus hypochondriaci, qui perseverarunt quatuor, aut quinque annos, quibus non homo, sed hominis simulacrum videbatur. Itaque, licet Decanus in animo haberet, Dissertationem illam absolvere, & exornare, quem in finem parata habebat adversaria pretiosa; tamen, cùm, adhortante & urgente Alexandro Zondadario, qui & editionis impensas promittebat, sæpè tentasset perficere Systema illud Philosophiæ Stoicæ ad affectiones spectantis; nunquam absolvere potuit, quia nunquam valuit exæquare se ipsum, licet animo alacriori paucorum mensium negotium esset. Adeò ad perfectè scribendum animi alacritas conducit.

69 Annus exhibat hujus sæculi septimus, cùm Josephus Emmanuel Mignana Emmanuelis

lis

lis Martini iudicio submisit Historiam suam *De Bello Rustico Valentino*, sive de Austriacorum Fœderatorumque ingressu in Regnum Valentia. Legit Martinus perlibenter Historiam illam, & ut amico veteri morem gereret, famæque ejus consuleret, respondit, totam Historiæ dictionem castissimam esse, & planè ad Romanas aures: ad Cæsarem quam propissimè accedere, nisi quod interdum crispituriret, delibatis à Sallustio quibusdam veluti gemmis, excitando auditori novi ornatûs miraculo: fateri se candidè, sæpè inter legendum orationis vi ac venustate perculsum ad invidiam usque fuisse permotum. Adeò illa affabrè dedolata, & exacta ad normam Romanæ loquentiæ. Unum id legentibus grave admodum ac permolestum futurum dixit, quòd periodos aliquando & orationis tractus adeò produxisset, insertis longis parenthesisæ ambagibus, ut totam illam sententiam unâ vocis contentione pronunciare ne Hercules quidem posset, qui sine respiratione unum stadium decurrebat, vel gurges ille, qui uno spiritu tres vini congios siccabat. Tametsi hoc vitio alterum librum minus jam laborare animadvertit Martinus. Qui liber rerum etiam varietate, civilium negotiorum tractatione, eventuum dignitate, sententiarum copiâ, describendarum rerum dexteritate, aliisque in eo præclarè digestis, prio-

rem alterum facile antecellebat : in quo inops ferè narratio, & aliquando jejunior. Quo morbo afflatum erat in primis operis exordium; nullâ apparatus dignitate, nullâque consiliorum inter Principes initorum notitiâ insigne. Quare altius à Mignana id opus repetendum censuit, monuitque; causasque majori ambitu expendendas, quibus bellum illud exaruit: quæ tantarum rerum molem, animorumque tam acre dissidium contentionemque, pro dignitate sustinerent. Præterea adjecit Notas aliquas criticas, quibus stili aliquos defectus castigavit; adnotavitque sigillatim errores aliquos, uti falsitatem manifestam in aliquibus narrationibus, silentium in factis virisque memoriâ dignis; denique nimiam libertatem & immoderatum partium studium, in aurem ei susurrans illud Euripideum. *Qui sibi sapiens non est, nequicquam sapit*: itemque illud: *Nescis quid serus vesper vebat*. Hoc etiam in ejus Historia desideravit, ut nempe ad politica monita, quandoque diverteretur, exemplo Livii, ac Taciti, Thucydidis, ac præsertim Polybii: sine quibus Historia arida est atque elumbis. Est enim vitæ institutrix atque magistra. Sed & diligenter eum adhortatus fuit ad exactam temporum notationem. Qua sine nihil aliud sunt rerum gestarum narrationes præter involucra quædam & indigestas congeries. Duplici enim

enim base nituntur memoriæ simulacra , tempore , & loco. Quamobrem seriò admonuit Mignanam , ut daret operam , magnoque opere adlaboraret , ut Chronologia , & Topographia in primis elucerent.

70 Hæc quæ Mignanæ gratissima esse debuerunt , altius animum ejus penetraverunt. Itaque in speciem gratias egit ; & ut ingenium humanum sui amans est , excusationem in aliquibus erroribus nimis longè petivit , ac pertinaciter sustinere voluit : cùm prudentia exigeret , ut , si qua ei displicerent , leviter indicaret dissentienti rationem , utereturque ipse libertate sua in amplectendis monitis , aut insuper habendis. Pertinacia igitur illa displicuit Martino. Quo factum est , ut amicitia vetus , & arctissima nonnihil remiserit. Quamquam Mignana homo alioqui prudens , & famæ apud posteros adipiscendæ cupidus , re serius perpensâ , plurima postea mutavit , emendavit , addidit , ut observavit summus amicus ejus Majansius , quem penes est Historia illa.

71 Sed quoniam semel iterumque Mignanæ mentio facta est ; ne tanti viri res silentio prætereantur , idoneum visum est de natura , cultuque ejus paucis dicere. Igitur Josephus Emmanuel Mignana natus fuit Valentia Ede-tanorum Eidib. Octobr. An. MDCLXXI. Pubertatem egressus , nomen apud Sanctissimæ Trini-

tatis Sodalitium professus est. Cùm esset Tirunculus libros sacros ferè omnes memoriæ mandavit, maximè Historicos. Hinc Anno MDCCXXVI. cùm discipulus idemque amicus ejus in Præposituræ Valentinae competitione sacrum textum enarraturus esset; unus Mignana facile potuit prælectionem omnem conscribere, nullis libris consultis, eruditissimis viris in scholastico pulvere versatissimis id multùm demirantibus. Adolescentulus Neapolim superiorum permissu profectus est, ubi septennium vixit. Ibi linguam Latinam diligentius didicit: pingendi etiam artem edoctus est: atque suæ dexteritatis præclara postea monumenta Sagunti reliquit, ubi apud Cœnobium Trinitariorum, in altari maximo duæ conspiciuntur tabulæ, quas ille depinxit. Neapoli in Hispaniam reversus Latinam linguam quadriennium docuit Liriæ; quadriennium alterum Sagunti: deinde Rhetoricam aliquot annos in Academia Valentina. Cùmque altiora cogitaret, à Rhetorices professione abdicavit se. Urbs verò Valentina abdicacioni noluit assentiri ne tanto Præceptore Academia careret. Mignana tamen ex illo tempore neque Academiam ire, neque honorarium voluit percipere. Sic ostendit Valentina Urbs quanti Mignanam faceret. Ipse verò constantissimè in suo permansit proposito, & otium nactus

de-

dedidit se conscribendæ Historiæ. Ac primo scripsit *Bellum Rusticum Valentinum*, sive Historiam de Ingressu Austriacorum Fœderatorumque in Regnum Valentia. Quam Historiam à summo viro Emmanuele Martino lectam, & peracutè emendatam fuisse supra dictum est. Ea verò cum Mignana decessit, surrepta fuit, & ab ejus amicis, Majansio præsertim, conquisita diu, inveniri non potuit, furaci manu eam occultante, & falsò aliquibus jactantibus se penes esse; nolle tamen eam proferre, ne exemplorum copia vilesceret. Sed cum Gregorius Majansius vidisset olim autographum aliud à Mignana ipso missum ad virum eruditum; omnes nervos eò intendit, ut amici cujusdam ope sibi exemplum pararet, idque cogitat aliquando publici juris facere. Præterea Mignana maximi viri Joannis Mariana *Historiam De Rebus Hispaniæ* continuavit, & veluti uno eodemque filo deduxit ab obitu Ferdinandi Catholici Regis usque ad initium Regni Philippi III. Quo factum est, ut duorum præclarissimorum Regum res gestas, Caroli scilicet V. & Philippi II. posteritati mandaverit: sub quibus Principibus Hispania maxime viguit floruitque armorum literarumque gloriâ. Certè ejus imperium nunquam tam latè patuit, neque tanto fuit terrori. Atque hanc Historiam Mignana ita feliciter conte-

xuit , ut facile ostenderit , quàm multiplici rerum cognitione instructus ornatusque ad scribendam eam accessisset. Nam , si res spectes, quas Mignana refert , omnes sunt conspicuæ, quarumque cognitio maximè utilis est ad publicam vitam privatamque. Neque ut doceat, fingit ; sed summo adhibito iudicio , & procul ab affectibus quos propria nationis amor excitare solet , civilia narrat prout contigerunt; religiosa sine superstitione ; omnia summo veritatis amore ; paribus laudibus extera, ac nostra celebrat ; eâdem libertate nostratium vitia, ac exterorum vituperat. Atque ita singula persequitur , ut eventuum causæ progressusque, & exitus pernoscantur omnino ; neque negotia cum negotiis confundantur ; sed singula narrentur suo loco & ordine. Dictio videtur Juliani ævi , & ad Plauti stilum conformata. Mirifica in verbis proprietâs est : oratio nervosa atque gravissima : ut agnoscas virum robustissimi iudicii. Acuto utitur dicendi genere , eoque sæpè velut interciso. Plura refert quam dicit : ut lectorem postulet attentum , & minimè somniculosum. Orationes solet intermiscere , semper opportunas & probabiles ; plerumque obliquas , C. Cæsaris imitatione. Merito igitur critici Trevulsienses summis laudibus Historiam hanc extulerunt. Verum iidem eximium veritatis amatorem Joannem Marianam,

nam,

nam , sodalem suum , ut Hispanorum adulato-
rem , parum consideratè reprehenderunt ; fac-
tique res omnium oculis propositas , & à Gre-
gorio Majansio non solùm Hispanè , sed Lati-
nè etiam ad literam expositas , falsitatis argue-
re , nimis confidenter ausi sunt. Sed de his
uberius suo loco , & tempore. Marianæ Conti-
nuationem Mignanam scripsit duodecim anno-
rum spatio , absolvitque decimo sexto die ante
obitum suum , qui contigit sexto Kal. Augus-
tas Anni MDCCXXX. magno omnium dolore,
amisso viro piissimo , eruditissimo , modestis-
simo. Decessit Valentiaè tertium Cœnobiarcha.
Bis præterea fuit Provinciæ Aragonum Visita-
tor Generalis. Quæ munera administravit pru-
dentissimè. Præter Historias laudatas reliquit
Saguntineida , sive Poëma de Sagunti excidio:
quod opus aggressus est magno spiritu. Sed
solò conatu contentus est. Servat Gregorius
Majansius Fragmentum hoc ex autographo def-
criptum ; & ejusdem aliquot *Epistolas* ad eru-
ditissimos viros Janum Vincentium Gravi-
nam , Joannem Basilium Castelviniū , Cervi-
lionis Comitem , Joannem Baptistam Corac-
cianum , aliosque. Pleræque earum (sicut &
Saguntineis) ipsius Mignanæ manu exaratae per-
manent apud Hyacinthum Joverium. Ad Em-
manuelem Martinum datae nunc publicantur;
quæ verò ad Majansium , inter hujus Epistolas
edi-

editæ fuerunt. Idemque cogitat edere eruditissimum *Dialogum De Theatro Saguntino*, & *Opusculum De Circo*, si utriusque libelli exemplum ad se miserit quidam nobilissimus Vir. In omnibus Mignanae scriptis gravitas est mirifica, Latinae linguae summa proprietas: illam habebat ab ingenio suo; hausit hanc ab auctoribus optimis, praecipue à Plauto, quem memoriter recitabat: ut qui per multos annos singulis noctibus antequam iret cubitum, comœdiam legerat, stili formandi gratiâ. Graecam linguam callebat, adeoque maxime delectabatur Novo Testamento Graecè scripto legendo. Quam linguam adeo amabat, ut morti proximus Orationem Dominicam Graecè recitaret, existimantibus Monachis qui aderant, delirare illum. Itaque ad extremum usque spiritum eruditus piusque fuit. Hic igitur fuit Josephus Emmanuel Mignana, cui inter Martini discipulos locus princeps debetur; ab hoc enim & praesens, & per literas edoctus est: & summi viri obelismi maximo ei incitamento fuere ad aggrediendam *Historiam De Rebus Hispania*, immortale opus, cujus singulos libros vix Mignana absolverat, cum recognoscendos tradebat Gregorio Majansio; quocum se prudentius gessit; nam ab eo in plurimis admonitus, semper egit gratias; & si quâ in re dissensit, siluit; resque nonnullas sicuti ipse scripserat, reliquit;

Ma-

Majansio minimè repugnante , cui in illo agro nec ferebatur , nec metebatur. Et tamen de-
functo Mignana , quicquid vellet potuisset mu-
tare ; tamen omnia reliquit intacta , misitque
autographum ipsum ad Petrum Hondtium,
Historiæ illius editorem.

72 Sed pro instituto scribentis de Migna-
na satis. Et Emmanuelis Martini calamitates
misericordiam excitant. Interea jacebat sum-
mus vir ærumnis oppressus. Nam diruta pa-
triæ mœnia , excisum natale solum , domus
everfa , familia laribus avulsa. Et quod om-
nium longè erat miserrimum, ac vix ferendum,
nullo crimine impiata : imò egregiâ erga Re-
gem fide , & exantlatis pro dignitate retinen-
dâ laboribus clara. Quamobrem jacebat ma-
ximo in luctu ac squalore : tanto literarum fas-
tidio , ut Eustathii versionem , quam ad illud
usque tempus tam feliciter promoverat, quam-
que volebat esse ingenii studiorumque suorum
immortale monumentum ; penè flammis com-
miserit. Quod cùm rescisset Exc. Princeps Gas-
par Mendoza & Segovia , Marchio Mondexa-
rensis & Agropolitanus, ut homini calcar adde-
ret , & exemplaris inopiæ subveniret ; Joanni
Serresio Gallo, Congregationis Jesu Presbyte-
ro , quo Martinus jamdiu utebatur valde fami-
liariter, tradidit alterum Eustathii *παρεκβολων*
volumen in Homeri Iliada, ut illud suo nomine
Mar-

Martino offerret. In qua re vir summus non tam usurâ beneficii commoveri se sensit (quam eo quoque maximè obstrictum se confessus est) quàm occasione conveniendi tanti viri. Quem multos jam annos ignotum licet singulari observantia colebat. Ex quo nempe Romæ clarissimum illud Hispaniæ lumen dignissimumque purpuratum Josephum Aguirrium sæpè audiverat, de illo prædicantem, buccinantemque, Dissertationesque illas ejusdem legerat, succi plenas, altissimæ eruditionis, subactissimi judicii. Itaque tanto illius Principis beneficio factum est, ut Martinus maximè gauderet, patere sibi ad illum aditum, singulari famæ beneficio. Quod sibi jucundissimum in illa fœdissima temporum procella rerumque omnium jactatione. Qua quominus à constantia gradu fuisset dejectus, uni literarum subsidio referebat acceptum. Ex eo itaque tempore cœpit Martinus crebro literarum commercio tanti viri frui. Marchio Hispanè, Latinè Martinus scribebat, sic illo jubente.

73 Abditus erat ille Princeps in oppido suo Mondexare, nihil præter literas curans, exteris in maximo honore, literarumque famâ propter exquisitam eruditionem; Hispanis plerisque oblivioni traditus ob doctrinam supra vulgi captum. Ex eo tempore Decani judicio (quem de facie non noverat, etsi vehementer

menter cupiebat eum videre & alloqui) opera sua cœpit submittere : nec æquiore animo laudes , quàm censuram acciepiebat : quæ profectò erat libera & severitatis plena. Adeò ut graviter Martinus castigaverit stilum ejus laciniosum , atque extra argumenti fines excurrentem. Vehementer cupiebat eruditissimus Princeps Martini frui colloquiis ; item Martinus avolare ad eum , & quàm arctissimè complecti. Sed remorabantur anni tempestas animique sollicitudo , quâ pendebat incertus obscurâ & cæcâ expectatione rerum , sævæque illius armorum procellæ , quæ in omnium capita ingruerat. Quamobrem fœdâ contagione ita ægrescebat animus ac decumbebat , ut à mœroris morfu vix posset divelli ; nedum hilaritates & oblectamenta cogitare : quorum se ex congressu illius infinitâ copiâ perfunderet. Quando igitur nihil apparebat , quo ægritudo illa leniri quiret , & dies crastina instaret semper hesternâ luridior ac tetrior ; rejicere constituit Martinus illam cogitationem in mitius anni tempus (hyems tunc sæviebat) decrevitque Aprili mense anni MDCCVIII. excurrere ad Mondexarenses Principem , & in sinum amplexumque ejus venire. Advenit Aprilis , non tamen facultas veniendi in illius conspectum : siquidem præcisa fuit iniquitate temporum , quæ nihilo meliora. Sed & paullo post
om-

omnis spes abscissa fuit. Nam cum Martinus jam vellet ad eum proficisci, ecce nuncium tristissimum, Marchionem Mondexarensis funestissimâ febris correptum decessisse pridie Kal. Septembreis An. MDCCVIII. ætatis suæ octuagesimo primo. Quo certè nuncio nihil accidit Martino unquam funestius, nihil acrius animum perculit ejus. Non quòd sibi haberet persuasum, fore ut id ætatis homo diu apud mortales perennaret; sed quòd uno veluti agmine sibi occurrerent durissima temporis conditio, ærumnosissimi viri solitudo tristissima, quatuor filiorum transfugium, totque tantorumque scriptorum volumina ineptissimorum hominum ludibriis exposita. Respiravit tamen postquam allatum est, optimè illum cordatissimèque avitis bonis reique familiari consuluisse, exheredatis filiis, ac in nepotes translato patrimonio: quæ una erat acerbissimo illo tempore incolumitatis via. Nec erat quòd multum doleret liberorum sortem, quando nullus casus à paterni nominis famæque hereditate illos posset dejicere. Quæ omnium splendidissimum est patrimonium. Dolendum sibi tamen dolorem suum existimabat, qui optimâ sui parte, amico nempe integerrimo, interierat. Cujus erga se amoris ac benevolentia, quoquò se vertebat, vestigia. Putabat etiam mœrendum Hispaniæ, cui acutissimus ille

ille Historicæ veritatis oculus, erutus fuerat, lumenque illud extinctum, quo allucente tot remotissimæ vetustatis perscrutata latebræ, tot impostorum fraudes circumventæ. Sed ea erant Hispanæ gentis stupor atque vecordia, ut plagam illam, quâ literis major vix infligi potuit, non modò tanquam levem contemnerent; sed omnino non sentirent. Quod extremum de-honestamentum esse Martinus censebat. Miserum enim reputabat, tantum virum amisisse; sed longè miserrimum, ignorationem jacturæ. Quippe illud pertinet ad humanæ naturæ sortem; hoc autem ad hominum ignaviam & sordidiam. Quamobrem sæpè tanti viri conditionem miseratus fuerat, qui patriam fortitus esset, ad humaniora studia, amœnioresque literas inertem. Quo factum fuit, ut per totum ferè vitæ curriculum cum larvis sibi fuerit lucrandum, & nugatorum umbris: quamvis alioqui nihil fuerit eo, nec moribus magis compositum, nec sermone temperatius, vel alienius ab inferendâ injuria. Opera ab ipso lucubrata, quorum Catalogum ipse paullò ante mortem ad Martinum transmiserat, quàmplurima sunt. Nec lectori erudito ingratum erit hic legere illorum omnium titulos, descriptos ex Emmanuelis Martini ad Alexandrum Zondadarium Matriti degentem Epistolâ datâ in eâdem Urbe Regiâ postridie Eidus Septem-

tem-

tembreis anni MDCCVIII. Ordine tamen aliquantulum immutato, ut libri excusi à manuscriptis distinguantur. Catalogus igitur operum Marchionis Mondexarenfis, hic est. *Carthago Africana. Patronatus Sancti Fructi. Dissertationum Ecclesiasticarum tomus duo. De Predicatione Sancti Jacobi in Hispania adversus Natalem Alexandrum. De vera Epocha occupata à Sarracenis Hispania.* Quæ omnia formis typographicis excusa sunt præter *Dissertationum Ecclesiasticarum* tomum secundum. In lucem etiam prodire *Notitiæ Genealogicæ Familiæ Segoviensis.* Qui Liber ipsi Marchioni dedicatus fuit à Joanne Romero & Cardenas, sub cujus nomine ille latere voluit. Reliqua opera ipsius manu, aut Andreæ Arnaldi, qui ei fuit à secretis, & postea Hispaniarum Regi à Bibliothecâ, exarata supersunt, partim apud Marchionis heredes, partim in Bibliotheca Regia Matritensi, quæ communicari omnibus è republicâ esset literariâ. Neque deessent qui publicationis laborem susciperent, si eorum favor adesset, quibus literarum incrementum curæ esse debet. Manuscripta Opera hæc sunt. *De Mose Scriptore omnium vetustissimo. De Deo Carmelo. De vera origine Ordinis Carmelitarum. Fabula de Equabus Lusitanis Zephyro gravidatis, explosa. Monumenta Genealogica propriæ Familiæ de Segovia. De prima*
Mi.

Migratione gentium in Hispaniam. Gades Phœnicia. De Æra Hispanica. De origine & praxi impeditenti Consanguinitatis & Affinitatis. Instrumenta Historica Alphonsi, cognomento Sapientis, Hispaniarum Regis. Historia Familiae Mondexarenfis. Historia Familiae Montecatenorum. Historia Familiae Pontiorum de Leon. Notæ & Observations in Homeri Batrachomyomachiam. Notæ in Satyram nonam Juvenalis, cum adjuncto Opusculo de Annis, Diebus, & Horis Romanorum. Scholia in Artem Poëticam Horatii. De Phalange, seu Testudine Macedonica. Hercules Gaditanus. De Etymologia Militis, ad legem Miles Dig. de Test. Mil. De Judiciis Areopagi. Epilogus Ordinum Militarium. De Conceptione Virginis Matris. Historia Comitum Barchinonensium, Opus affectum. Miscellanea.

74 Tanti amici jacturam aliquo modo falsit Martinus, novo amico sese illi insinuante. Nam Joannes Interamnensis Ajalæus, Frater Societatis D. Mariæ de Mercede, cujus ingenii amœnitatem *Excursus ad Musas*, Hispanæ linguæ puritatem *Orationes ad Populum Christianum*, vertendi dexteritatem *Claudii Floridi Catechismus*, stili acumen *Epistola Latina*, doctrinæ præstantiam *Pictor Christianus eruditus*, satis demonstrant; è Salmantica, ubi Hebraicas literas profitebatur, epistolam ad Martinum

E num

num dedit, VII. Kal. Novembris An. reparatae salutis MDCCVIII. quibus eum ad amicitiam ineundam provocavit: in quam admissus humanissimè, deinde (rude donatus) Matriti omni officiorum genere quo potuit, sanctissimè eam excoluit; charissimisque vixit Martino propter egregias animi ingeniique dotes. Nam moribus fuit candidissimis, memoriâ tenacissimâ, eruditione variâ, Poëta eximius, sive Hispanè, sive Latinè pangeret: in carmine Phaleucio ad invidiam usque mirabilis. Etsi Martino nunquam placere potuit ingenium illud puerilia sectans, perpetua Martialem recitandi prurigo, stilus duriusculus, & ex quo disertissimum Plinii senioris acumen imitari coepit, minus Latinus, etsi acutulus, & affectatè disertus.

75 Arctissimam etiam amicitiam habuit cum Francisco Rivio & Cardona, Comite Ferdinandi Nunni. Vir ille egregius literarum literatorumque amantissimus fuit. Scriptis etiam inclaruit, & plura nondum edita reliquit.

76 Sed nihil Decanus tanti aestimabat, quàm quòd Maria Alencastria Lavarentium Ducissa plurimi eum faceret, & ejus sermonibus multum delectaretur. Et verò id inter maximas Martini laudes recenseri debet: nam heroina illa (vestitu Jesuitica) præter linguam Hispanam, & huic consanguineam Lusitanam,
cal-

callebat optimè Gallicam, Germanicam, Latinam, & Græcam. Erat Philosophia Peripatetica, Theologa insignis, in prophanâ sacrâque Historia versatissima, denique omnigenâ eruditione instructa, & meliore sæculo dignissima.

77 Hunc vitæ cursum peragebat Decanus, qui, ut erat felicissimus, durare non poterat. Annus igitur hujus sæculi agebatur octavus, cum prava flatuum hypochondriacorum affectio acrius multò quàm antea, eum infestare cœpit: adeò ut ad extremum vitæ periculum eum adegerit. Symptomata erant adeò extraordinaria, ut nullo modo posset dare operam studiis, in quibus vitæ jucunditatem ipse collocabat. Contigit etiam paullò post Mæcenatis sui in Pampilonensem arcem conjectio, quam subsequuta fuit mors initio anni decimi. Unde novus Decano dolor accessit & ægrimonia. Amici ei suaserunt mutationem aëris, cum Matritensis adeò adversus esset illius saluti. Statuit igitur Hispalim proficisci, cujus cœli temperatio suæ congruentior. Sed ante profectio-
nem expedire debebat omnia negotia spectantia ad Bibliothecarii Antiquarii que munus, quod ipse obtinuerat. Interfuit igitur defuncti Ludovici Cerdæ Bibliothecæ æstimationi, quam fecerunt negotiatores librarii à Ducissâ vidua electi. Eorum ignorantiam Martinus

egregius raritatis nitorisque librorum æstimator tunc maximè demiratus fuit: nam ferè ejusmodi homines in Hispania vix librorum titulos noverunt legere. Deinde ipse Decanus numismata juridicè æstimavit. Mox idem factum in Antiquitatum collectione, & in sex & nonaginta voluminibus in quibus copia erat mirifica graphidis exemplarium, ex quibus possent artifices multùm proficere.

78 His omnibus expeditis, extremo Julio anni undecimi, Matrilo, postquam in ea Urbe septennium fuerat, Hispalim profectus. Carpetanorum fines egressus nullâ siti vexatus, etsi regio illa oppidorum infrequentia, ac sterilitate soli, horrida atque tristissima, maximèque laborans aquâ pessimâ, vel potius nullâ: ipse autem is esset, qui aquæ potui omnia posthaberet. Superatâ regione eâ aridâ ac sticulosâ, terrebat Decanum Marianus saltus, grassatorum maleficiis ac frequentioribus latrociniis infestus. Rumor etiam percrebuerat obsideri viam ab iis, quos *Agyptios* vocant. Quare prætrepida omnia ac formidolosa. Cùm igitur & ulterius progredi, objectoque periculo occurrere, parum videretur consultum; & consistere, nimis grave molestumque; cùm inter spem metumque fluctuaretur; vicit tandem animi fiducia; jactâque aleâ, conjecit se in saltum, quem pacatissimum expertus, Illi-
tur-

turgim pervenit VIII. Eidus Septembris : posterâ autem die Cordubam se contulit ; sequenti Astigin , non incolumis tantum ; sed & alacrior propterea quòd quicquid erat itineris tetricum , ac periculofum , id totum feliciter confecerat. Quod autem supererat , voluptatem potiùs afferebat , quàm vel languorem , vel aliquam animi ægritudinem. Via enim undique Naturæ opes ostentans vineis & olivētis , spectaculum exhibebat , oculis & animo gratissimum. Cicurata denique omnia , & mitior solifacies. Posterâ die Carmonem tenuit ; altera Hispalim.

79 Dum iter perageret , in omnibus oppidis in quibus vel tantillum morabatur , diligenter sciscitabatur , num aliqui essent qui haberent antiqua numismata ; aut numquid alicubi reperirentur Inscriptiones aliquæ , sive prisca aliqua monumenta. Præterea ibat ad aurifices , aurichalci artifices , & fabros ærarios , numismatum quærendorum gratiâ. Ad eos enim in Hispania deferri solent ejusmodi thesauri. Neque sanè operam lusit.

80 Ingressus Hispalim recepit se in magnificentissimas ædes , quas ibi habet Excellentissimus vir Nicolaus Corduba , Marchio Priegi , Ludovici Cerdæ Metymnensium Principis successor , filiusque lectissimæ feminae Feliciæ Cerdæ , defuncti Principis sororis. Ibi diligentif-

simè curavit, valetudinem multum debilitatam benignitate soli firmare. Quam ubi aliquantulum recuperavit, Antiquitatum investigationi se totum dedidit.

81 Ac primùm permotus famâ Italicæ, claræ natalibus Trajani & origine Hadriani, qui Romanum Imperium tantâ cum Hispaniæ gloriâ tenuere; eò se contulit, comitatus Francisco Lælio Lævanto, Archidiacono Iliplensi, ac Luca Valdesio celebri Delineatore, & Mathematico. Ibi, è proximo oppido, quod Sanctus Pontius vocatur, accersitis fossoribus, iussit eos fodere variis in locis, ut antiqua ruderâ eruerent, & si qua laterent monumenta, patefcerent. Ambulationis fructus præcipuus ut incideret in celeberrimum illud Amphitheatrum Italicense, orbi literario ignotum antea. Cujus Amphitheatri cùm faciem superstitem, ab se accuratè delineatam, tum Ichonographiam, misit postea Bernardo Monfalconi, per quem illa lucem viderunt publicam in *Antiquitatis illustratæ* egregio Opere. Ejus autem Amphitheatri integriore sanè fruerentur aspectu, siquidem Hispalenses, præclarissimi monumenti reverentiâ tacti ab infligenda injuria sibi temperassent. Sed cùm cœmento saxisque opus haberent ad murum struendum adversus vim fluminis, à quo Urbi exitium imminebat; publicè decretum est, ut Amphitheatrum

trum

trum illud (quod in veteris Italicæ ve stigio adhuc existabat pulcherrimum oppidò atque integerrimum) funditus subrueretur , allatis eò tormentis , ac suffosis scrobibus pyrio pulveri admittendo , quò tota illa compages disjiceretur. Quod egregiè factum. Nec tamen eventus eorum diritati plenè respondit , obsistente veteri structura , quodam perdurandi amore.

82 Anno xii. elabentis sæculi pridie Nonas Januarias Hispali profectus ad portum Menestei. Dimidium itineris asperrimâ pruina obriguit ; reliquum cælo pluvio confecit : in Portum tamen incolumis pervenit postridie Nonas Januarias. Ibi æstatem transegit , & æstus molestiam commodissimè vitavit apud amicum Flandrum. Veteres nummos , quotquot potuit , corrasit , novis infumtis. Inde Gades perrexit , ubi multò plura invenit , eaque Phœnicia , quæ facile ibi reperiuntur , quoniam Phœnices Gadium conditores fuerunt. Inde gradum flexit , rediitque Hispalim salute jam confirmatâ , & alacriori animo ; in quam Urbem reversus , nihil antiquius habuit , quam ut Principis Alcalæi jussa executioni mandaret. Jusserat ei Princeps , ut inventarium conficeret librariæ supellectilis , quæ adeò copiosa erat , ut sex mille voluminibus constaret. Invenit Martinus plusquam quingenta volumina , partim humore putrefacta , partim blattis tineis-

que exesa ; quæ , ne cæteros libros inficerent , procul abjecit. Bibliothecam illam optimis libris abundantem ex Italia advexerat Ferdinandus Afanius de Ribera Henriquez Hispalensis , Dux Alcalæus , Tarifæ Marchio , Baticæ (ut vocant) *Adelantatus Major* , Ferdinandi filius , Ferdinandi nepos , Ferdinandi pronepos ; qui Catalanos cùm rexisset , præfuisseque postea Neapolitanis Siculisque , postremo in Italia Regis Vicarius fuit , & Administrator Ducatûs Mediolanensis. Itaque summus ille vir , eruditus juxta ac nobilis (ut declaravit egregiâ Disputatione Hispanè conscripta *De titulo Crucis Jesu Christi Domini nostri*) cùm in Italia bonarum Artium parente ac nutrice esset , magnam librorum copiam conquirit , congescitque ; præsertim manuscripta quamplurima antiqua , Hebraica , Græca , Latina , quæ collocari jussit in loco separato. Ad librariam autem supellectilem collocandam exstrui jussit cœnationem : qua non facilè capaciorem in Hispania reperies. Cujus præter amplitudinem magnificentissimam , loci nitor splendidissimus , saluberrimus aëris afflatus , opportuni luminis hilaritas gratissima , thecæ concinnitas eximia , pluteorum elegantia summa , insignium tabellarum ornatus egregii ; ut aspicientium animos incredibili quadam voluptate recrearent.

Præ-

83 Præterea idem Vir summus ædes suas magnificentissimas omni veterum monumentorum genere spectabiles fecit. Nimirum eas ornavit pretiosissimis columnis, marmoreis, jaspideis, porphyreticis, cimeliorum loco repositis (inter quas erant duæ Numidicæ) Item Græcorum artificum statuis ingentis pretii, protomis, anaglyphis, sigillis æneis, vasis sacrificialibus, tabellis, urnis, inscriptionibus, itemque numismatis veteribus.

84 In principali ædium atrio sunt aliquot statuæ Colossæ, veluti Minerva frugifera, Copia Syrisca, & alia visu dignissima.

85 In horti principalis parietibus inclusa visuntur prominentis sculpturæ quamplurima monumenta, propter antiquitatem historiarumque quas continent maximi facienda. Jussit Martinus peritissimo pictori, ut scalas admoveret, & præcipua delinearet. Erant inter ea duo prægrandes lapides navale prælium exhibentes, ubi conspiciebantur naves turritæ (ignotum antea desideratumque monumentum eruditibus oculis) thensa item singularissima, & pompa triumphalis. Que Martino videbantur esse reliquiæ fori Trajani; idque Decani judicium comprobavit postea eruditissimus Monfalconius, qui monumentum illud publicavit, notisque illustravit, & singulare esse in orbe terrarum confessus est.

In

86 In eodem horto erat basis quædam statuæ Isis. In ea erat Anubidis hinc simulacrum novo gestamine, nempe clavâ. Atque Ibis illa decantata. Inde verò, sive Osiris, sive Numen aliud Niloticum, cum subjecto Apide. Inscriptio præterea quam laudatus edidit Monfalconius, ægrè ferentibus Martini amicis eruditis, quòd sibi prius non communicasset illam, ut publicandi gloriâ fruerentur.

87 Hæc omnia sacratione custodiâ dignissima, adeo ignorantia, contemptu, ac ludibrio nostratium abjecta jacebant & ingloria, ut Martino sedulò contemplanti, potius lacrymas exprimerent, quàm ejus oculos oblectarent.

88 Hinc colligi potest, quot quantosque sumtus fecerit summus ille Vir Ferdinandus Henricida Dux Alcalæus ut ædes illas adeò magnificas exstrueret, & ornamentis instrueret. Qui, si ab eo somno quem dormit, excitaretur, proculdubio indignaretur, quòd ex magna numismatum collectione, quam diligentissime congescit ipse, solùm inutilia supersint, reliquis subreptis. Idemque contigit in optimis libris. Quorum quò major raritas, eò avidior diripiendi cupiditas.

89 Superiorum omnium Martinus inventarium confecit, ex mandato excellentissimi Viri Nicolai Cordubæ. Ita verò utebatur tem-
po-

pore ut nec muneri suo deesset, nec genio. Nam quod sibi supererat ab injuncto onere, nummis veteribus codicibusque exquirendis impendebat, amicorum operâ usus ad ea paranda. Nec irritus labor. Quippe nummorum magnam copiam congescit, Romanorum, Græcorum, Punicorum, Hispanorum, prisca ævi. Adeo ut per quatuor annos & sex menses, quos in ea urbe moratus, mille & sexcenta numismata, diversa collegerit.

90 Nec minor fuit ejusdem felicitas in inveniendis codicibus manu exaratis. Nam vili pecunia comparavit Aristophanis Comœdias manu benè vetustâ & eleganti, adjectis etiam Scholiis nondum in lucem editis. Codicem præterea qui instar esse posset penûs Oratoriæ. Continebat enim illustriores Demosthenis orationes, uti & Aristidis; Philostrati Vitas Sophistarum; Excerpta ex Philostrati de Vita Tyranni; ex Himerii Sophistæ Declamationibus; item ex Libanio, Hyperide, & Plutarchi Parallelis. Platonis item Gorgiam, sive de Rhetorica, & alia: qui codex fuit olium Nicephoræ Gregoræ, ut ostendit ejus chirographum in interiore tabella hinc inde descriptum. Quo etiam nomine permagni à Martino æstimabatur. Comparavit itidem Aretæi Cappadocis Professione Medici, Hippocratici Ionismi felicissimi imitatoris, libros *περὶ ὀξέων ὑγῶν*.
re-

recentiore quidem manu, sed bene peritâ. Ruffi Festi Περὶ ὀνομασίας τῶν τοῦ ἀνθρώπου με-
 γίστων. Quæ nomenclatura humanarum partium
 non quidem inepta & jejuna, ut ferè sunt
 Grammaticorum; sed laboriosa planè & eru-
 dita. Hic Festus fuit professione Medicus, flo-
 ruitque sub Trajano Principe, scripsitque *De
 Victu navigantium*. Nactus etiam fuit Ma-
 nuëlis Atramyttēni librum Θεοσοφίας, in quo
 vaticinationes Sybillinæ ad Christi adventum,
 ejusque salutiferam legem pertinentes cum
 Divinis Oraculis componuntur παραλλήλως.
 Præterea MSS. Sex. Pompeji Festi; sed mendis
 scatens. Ad Martinum etiam delatum fuit vo-
 lumen manuscriptum in quo plurimæ erant
 antiquæ Inscriptiones elegantissimè descrip-
 tæ; sed eas tanquam sublestæ fidei despexit,
 & in tam vilibus mercibus visum ei fuit non
 prodigere pecuniam. Debuerat autem emere,
 ne imperitis hominibus ansam relinqueret,
 obtrudendi eas tanquam alicujus momenti.

91 Ergo dives veteris metalli chartarum-
 que, constituit Martinus repedare Mantuam,
 ut inde Romam proficisceretur. Nam in His-
 pania neminem inveniebat, quocum res suas
 communicaret. Itaque posteaquam Hispali
 fuerat quatuor annos & decem menses, ex-
 tremo Junii anni MDCCXV. iter in Urbem Re-
 giam suscepit. Quo in itinere variis incom-
 mo-

modis ærumnisque vexatus est, ut erat anni tempus. Statim enim ac Marianos montes superavit, ingressus in Spartariam Provinciam alvi profluvio acriter laborare cœpit, quo nihil aliud ejiciebat, nisi bilem meram. Quod cum Decanus animadvertisset, actum de se putavit, memor aphorismi Hippocratis Medicorum Principis. Profluvio tamen illo non cessante summo labore peregit susceptum iter, & postridie Kal. Julias noctu Matritum pervenit, adeò viribus dejectis, ut lecto & domi se continere coactus fuerit. Supervenit fatale quoddam cibi fastidium, stomacho omnia respuente, consequuta vigilia, continentesque meræ bilis ejectiones, tandemque febricula: quæ tamen duabus tantum reversionibus contenta, discessit, vi medicamenti cathartici, quod ipse (sui optimus Medicus) sibi domi præparari jussit. Cujus beneficio, tertio die posteaquam Matritum ingressus fuerat, lectum reliquit.

92 Diem extremum paullò ante obierat Gabriel Alvarezius, Bibliothecæ Regiæ Præfectus, vir modestus, & eruditus, qui *Ecclesiæ Mundique Historiam ad diluvium usque* conscripsit, stilo Asiatico tumidoque, disputatiunculis referto præter Historicas leges. Ut primùm igitur Martinus Regiam Urbem attigit, omnes in eum oculos conjecerunt, tanquam

quam unum cui Musei Regii cura committi jure deberet. Et sanè res eò devenit, ut ipsi Regi clam supra mensam appositi fuerint incerti Auctoris codicilli supplices, in quibus referebantur Martini merita ad illud munus exercendum apprimè conducentia. Præterea doctissimo viro Guilielmo Dubantoni, Regis conscientiam dirigente, cujus ad consultationem Rex munus illud largiturus erat, quamplurimi Hispaniæ Magnates pro Martino supplicabant. Quin & Joannes Emmanuel Ferdinandi Pacciecus, Marchio Villenensis, cui Dubanton mandaverat, ut perquireret virum eruditum & comem, qualis ad illud munus exigitur; locutus cum Decano coram Joanne Interamnensi Ajalæo qui fortè aderat, quemque Marchio impensè diligebat; apertè dixit, Decanum esse, qualem ipse quærere debebat. Cùm hæc in vulgus emanassent, Martino postea Bibliothecam Regiam ingredienti, librorum conspiciendorum gratiâ, statim reliqui Bibliothecarii ei tanquam Præfecto suo gratulari, illo tamen renuente ac dicente, se plures jam annos ab Ecclesia sua abesse; hanc acephalam esse temporibus adeò turbidis; Vicarium suum procul, Parisiis degere; se conscientia stimulis adactum vitam agere irrequietam, adeòque cogitare Alonenses latebras. Gaussabatur etiam, se ex quo Urbem Regiam

in-

ingressus fuerat, iterum tentari cœpisse antiquis morbis, adeoque in animo sibi esse fixum effugere cœlum salutis suæ infensissimum. Fugitante igitur Decano, & Dubantone eum silentio prætereunte (cujus rei causa minimè latebat) Bibliothecæ Regiæ Præpositus fuit Joannes Ferreras, Parœciæ Matritensis Divi Andreæ Curio, Scriptor ferreus *Annalium de Rebus Hispaniæ*, quas dum ad Chronologiam tanquam ad amussim tentavit adaptare; homo artis dicendique facultatis expers, in tenuissima frustra dirupit illas; ut singularum rerum interruptam seriem, si cogitatione velis ordinare, frustra fueris. Scriptor tamen qui legendus est. Rudem enim esse in nostris rebus, quas pauci cum judicio literis mandarunt, aut inertissimæ segnitiae est, aut fastidii delicatissimi. Decessit hic probus doctusque vir Mantuæ Carpetanorum sexto Eidus Junias, An. MDCCXXV. ætatis suæ LXXXIII.

93 Nesciebat Martinus in otio degere, existimans illud vivi hominis sepulturam esse. Itaque cùm Matrili degeret Janus Interamnen- sis Ajalæus, Martialis recitator assiduus, quique ejus Poëtæ urbanitate ac facetiis apprimè delectabatur; Martinus mense Decembri anni MDCCXXV. triduo, animi laxandi gratiâ & quasi ludibundus, Græcè convertit illius acutissimi Poëtæ Epigrammata quædam, quibus ad-
jun-

junxit aliqua jam dudum à se exarata, eaque omnia misit amico suo, tum ut voluntatem illius sponte suâ in se devexam illo munere arctius devinciret; tum denique ut tam luculento exemplo amicum jamdiu torpentem excitaret, & acres illos igniculos eliceret, quibus inflammatus loca petere consuevit nullo unquam violata vestigio. Ajala munus amici Epistolâ carminibus intertextâ redonavit. Cujus facilitatem cum admiraretur Decanus, misit ei Poëmation Paraphrasticum jucundissimi illius Odarii Anacreontici, quo suavissimus ille Poëta convivalem urbanitatem celebravit: jussitque ut Latinè converteret; quod elegantissimè præstitit Ajala.

94 Deinde cum mense Martio Anni MDCCXVI. die ipso æquinoctii verni Martinus podagrâ primùm fuisset correptus, molestissimo dolori levando Janum Ajalæum ad se visendum invitavit dulcissimis Hendecasyllabis, quos Lectoris tædio leniendo visum est adjungere.

*Jane, delicia, lepos, amores
Nostri, grande decus novem sororum;
Parnassi juga celsa, verticemque
Dum premis bifidum, atque amœna Pindi,
Vel vires numerosque Tullianos
Dum versas animo, vel emularis;
Mosis volvere Cecropisve chartas*

Vel

*Vel magis lubet , otiove ludis;
 Martinus vetus hospes & sodalis
 Correptus podagra misellus hæret;
 Inclususque domi , laboriosa
 Vinctus compede duriter laborat.
 Martinus , caput illud , impotenti
 Cujus tu fueras amore captus
 Ipsum illud caput usque & usque languet.
 Ergo si veteris memor pudoris,
 Nos Ajala cupis levare morbo;
 Fac solere joci facetiisque,
 Festivissime , languidum sodalem
 Martinum , veterem hospitem & sodalem.
 Utemur medico auspiciore,
 Dum joci veneresque personabunt.*

95 Janus Interamnensis Ajalæus amici do-
 lorem dolens , adversus podagræ contuma-
 ciam , elegantissimos fudit Hendecasyllabos,
 qui licet inter ejus Opuscula Poëtica legantur;
 eorum tamen exemplar hic subjicietur, ut eru-
 ditus Lector intelligat , quantum in hujusce
 compositionis genere Ajala valuerit,

*Tristis , terribilis , furens podagra,
 Arummosa , gravis , procax , molesta,
 Quid tantum cupis insolens videri,
 Ut non divitibus voluptuosis,
 Ventris mancipiis , gulæque servis
 Bellas perplaceat movere pugnas?
 Nisi & sæva , viros laboriosos,*

E

Docæ

Doctos nempe , pios , honestos,
 Frugique , & veteris tenaciores
 Castæ sobrietatis (ipsa nosti)
 Quam vel Fabricii novem , vel octo
 Hispani fuerint simul Poëta,
 Turbare obstrepero dolore pergas?
 Quid Martinus , amabo , dic proterva;
 Admisit sceleris , quod expiandum
 Acerbo reputaveris dolore?
 Martinus meus ille , quem Minerva,
 Interpres Superum disertus , & quot
 Cælo numina sunt venustiora;
 Amant non secus , ac suos ocellos?
 Quem Phœbus colit , & novem Camœna;
 Cujus dulcisonis modis Camœnam
 Germanam veluti colunt sororem.
 Tunc illum senibus comes gulosis,
 Frugalem , sobriumque , Curiumque
 Contorquere voles , & permolesto
 Noctes , atque dies tenere lecto?
 Quare protinus , Hercules , malorum
 Depulsor validus , Machaonesque,
 Litæ , vos , soboles Jovis , benignæ,
 Nil jam segnipedes , & ipsa quotquot
 Sueverunt hominum levare noxas,
 Huc , huc , Numina , deprecor , venite;
 Et nos implacida levate cura.
 Sitque protinus integer , valensque
 Totis viribus ille ; provocare

Ut

*Ut certamine possit expeditos
 Cursores in Olympicis, vel ipsos
 Quotquot Isthmiacis vetus coronis
 Victores celebravit palestra.*

*Audi, sin minus, Hercules, bonarum
 Frugum particulas tibi rependi,
 Armatus licet exigas, negabo.*

*Et vos, ni facitis, Litas, Deasque
 Nemo jam meritò, sed exoletas
 Deliras vetulas lubens vocabit.*

*Tuque abi citius, fugam capeffe,
 Et vel Thracibus impera cruentis;
 Vel bonis nitidæ cutis Batavis;*

*Ni jejunia sentiens Poëta
 Et confecta fame perire malis,
 Ærumnosa, gravis, procax, molesta,
 Tristis, terribilis, furens podagra.*

96 Statim ac convaluit Martinus, cupido eum incesit, per literas compellandi Bernardum Monfalconium Benedictinum, Congreg. S. Mauri Presbyterum, virum eruditionis fama clarissimum. Inaudierat Martinus Monfalconium eo tempore summo studio viriumque contentione in vetusta incumbere monumenta, eorumque editionem parare. Cui rei colligere, & coacervare dicebatur quicquid pristinae majestatis reliquiarum ubicumque terrarum superesset. Quamobrem existimavit, se Monfalconio pergratum esse facturum, si quibus His-

paniensibus antiquitatibus institutum ejus juvaret. Itaque literas ad eum dedit, plenas humanitatis & officii, quibus adjunxit Theatri Saguntini accuratissimè ab se delineati exemplar unà cum ejusdem descriptione. Indicavit etiam Martinus, extorsisse se à Saguntinis publicum decretum, quo gravissima pœna iis indicta, qui illud cumque igni ferrove violaverint: eàque de re extare Epistolam suam ad Decuriones Saguntinos. Quam, si ad institutum à Monfalconio opus, vel Historicam narrationem, pertinere quoquo modo ille judicaverit, missurum se perlibenter unà cum Decurionum responso satis liberali, pollicitus est. Misit etiam Monfalconio Amphitheatri Italicensis cùm faciem superstitem, ab se etiam accuratè delineatam, tùm ichnographiam. Denique promisit se missurum alia haud illepida, si fortè illa placerent. Monfalconius, ut Martini literas elegantia, eruditione, & humanitate plenissimas accepit, atque perlegit; ex ungue leonem agnovit: & candidè confessus est, non putare se in Hispania esse virum tantæ eruditionis, tam tersæ Latinitatis, in antiquitate usque adeò peritum, quàm Emmanuelem Martinum videret esse; ita ut etiam inter literatissimos Europæ totius accenseri mereretur. Idque *κολακείας* procul à se dici, seriò affirmavit. Subjunxit sibi peropportunum contingere,

re,

re , ut dum monumenta vetera ubique terrarum persequeretur, in Hispania , quod minimè sperabat , sibi sese ultro offerret , vir omni exceptione major , qui monumenta nobilissima à tenebris ab se eruta , doctisque Notis illustrata , secum communicare veliet. Summâ itaque cum voluptate accepit Theatri Saguntini delineatam ichnographiam & descriptionem eruditissimam. Cujus sanè Diatribæ magnum sibi futurum esse usum dixit in Theatrorum descriptione. Etsi enim non totam lucubrationibus suis inferere liceret; ne jam memorata repeterentur ; ejus utique partes maximas se allaturum cum honorabili & nominis & eruditionis Emmanuelis Martini mentione pollicitus est. Postea tamen consilium mutavit , nec dedignatus est vir eruditissimus Dissertationem integram in Gallicam linguam vertere , & in utrâque tum Gallica , tum Latina publicare. Vidit etiam libentissimè Amphitheatri Italicæ ichnographiam , simul & orthographiam : & utramque postea inter Amphitheatra locavit. Adjunxit , pergratum sibi futurum , si suam ad Saguntinos Epistolam, ipsorumque responsum ad se transmittere dignaretur , quæ si non integra posset , compendio saltem in opere suo referre in animo habebat. Denique enixè rogavit , ut quæcumque ad manum haberet , secum communicaret. Perquàm officiosè id egit Mar-

tinus ; nam literis postea datis Alonæ v. Eidus Novembr. anni MDCCXVI. adjunxit epistolæ ad Saguntinos, eorumque responsi exemplaria: sicut & basim statuæ Isidis Puerpuræ, quam Hispali in Marchionis Tariphæ ædibus accuratè diligenterque delineandam curavit. Unàque misit ei basi adscriptam, & à se propria manu exaratam Inscriptionem lepidissimam. Misit etiam sex lapides prægrandes Româ olim advectos à Ferdinando Henricida Duce Alcalæo, & à Pio V. Pontifice Maximo ei donatos. Quos fori Trajani esse reliquias ipse autumabat. Certè magnifici vastique alicujus ædificii fuisse partes, cùm ex rerum in iis expressarum varietate ac dissimilitudine satis constabat, tùm ex eorum extremitatibus minimè invicem cohærentibus. Erat in iis novæ formæ thesa, sive currus triumphalis, cum reliqua pompa; naviumque turritarum structura, ornatusque. Misit etiam lucernas aliquot æreas exquisitioris artificii, quæ diligentiam fugerunt accuratissimorum virorum Petri Joannis Bellorii, & Fortunii Liceti. Eas depromserat ex Museo Ecelestæ Principis, cui olim præfuerat. Quod Museum translatum deinde fuit ad Regiam Bibliothecam. Nonnihil etiam adnotavit de veteri Hispanorum vestitu: & nummum eò spectantem adjunxit, misitque.

97. Ingenti cum voluptate munera hæc acci-

ci-

cipiebat Monfalconius, maximè turritas illas naves, quas ut sæpè in veterum scriptis adhibitas à Græcis Romanisque legerat; ita nondum viderat in monumentis insculptas incisasve. Tabulæ quoque illæ Ægyptiorum numinum sibi gratissimæ fuerunt. Quarum licet copiam penes se haberet, nullam fanè ante illum diem similem, nec tam singulari inscriptione ornatam conspexerat.

98 Idem Monfalconius Diatribam illam in Saguntinum Theatrum, integram in ea operis parte, quæ ad Theatra pertinet, edidit.

99 Fortè eodem anno decimo sexto contigerat Carthagine novâ, dum portus jussu Regis purgaretur, ut navis antiquæ carina inveniretur, cum costis, sive lignis transversariis; prorâ itidem & puppi, asseribusque nonnullis clavis æreis compactis ac bitumine, sive asphaltis quodam obductis; cui Severi Alexandri nummus affixus, tenacissimè hærebat. Martinus amicis mandavit, ut præstantissimum illud fragmentum delineari juberent. Pervicax autem nostratium antiqua monumenta vastandi libido, compagem illam quæ tot annorum pelagique insultus eluserat, ac in lucem tandem emerferat, factis adversus eam impetu dissolvit, discerpfitque: eâ scilicet fini, ut clavos æreos Regi mitteret. Stupefacti enim homines nihili materiæ novitate, visi sibi sunt

egregium munus Regi concinnaturi, si cæteris disjectis divulsisque, gomphos tantum fervarent; reliqua pro meris nugis habentes, & quisquiliis. Illas igitur reliquias, sive membra divulsa, peraccuratè perque concinnè delineata cum singularum partium nomenclatura ac dimensionibus Monfalconio misit Martinus, ut illa operis sui immortalis luce donata, posteritati transmitteret. Sperabat enim Martinus, in iis fortasse hodiernam naupegiam inventuram quod imitaretur: sin minus, certè, quòd miraretur. Misit præterea prominentis sculpturæ prostopum quoddam antiquissimum, quod Hispali delinearari jusserat in ædibus Ducis Alcalæi, referebatque triclinium, præstantissimum profectò monumentum, & auro contra erudito homini non carum. Nam licet jam olim à Petro Ciaconio Toletano, eruditissimo viro, persimile quiddam in lucem editum, quod Romæ in hortis Montaltis asservabatur, ac postea recusum fuit in *Admirandis Romanarum Antiquitatum*; tamen si attentè utrumque perpenderetur ac conferretur, erat profectò nonnihil inter ea discriminis, observante Martino.

100 Hic postea cùm Romæ esset, v. Eidus Januarias An. MDCCXVIII. Parisios ad Monfalconium misit, pateræ cujusdam fictilis, quæ apud se erat exemplum quàm accuratissimè
de-

delineatum. Valde enim bella sibi visa fuit, nec minus digna quæ à Monfalconio inter instrumenta sacrificalia recenseretur, uti re verâ edita fuit postea in operis Supplemento. Misit præterea fictilem quandam phialam lachrymis excipiendis, quæ asservabatur apud Hieronymum Odamum Equitem Constantinianum Divi Georgii, juvenem antiquitatis omniumque elegantiarum studiosum, naturæque pariter industriæque artibus viro nobili dignis ornatissimum, Martinoque arctâ admodum ac jucundâ consuetudine conjunctissimum, qui tam pateram, quàm phialam manu suâ delineavit.

101 Hæc minutatim paullòque diligentius connumerare visum est, ut posteritas agnoscat Emmanuelis Martini studium antiquitatis illustrandæ.

102 Nunc rerum ordo postulat ut videamus, quomodo se habeat Martinus, quem Matriti reliquimus provocantem Monfalconium ad amicitiam: quorum illustris communicatio undecim annos duravit, Martino Monfalconium eruditis donis locupletante, & Monfalconio illa restituyente orbi literario.

103 Elabente anno MDCCXVI. in Urbe Roma degebat Joachimus Alcarazius Valentinus, homo alienæ laudis captator, suæque nimis indulgens, gloriæ avidus, & aucupator
sol-

sollicitus, literis potius tinctus, quàm imbutus, alioqui probus & modestus. Ille juvenis cùm Martini, cùm officis, tùm disciplinæ causâ, Martini domum frequentaret (ab eo enim imbuebatur Græcæ linguæ rudimentis) precibus ei extorsit Theatri Saguntini ab ipsomet Martino delineati exemplar, unâ cum ejusdem Martini descriptione, quam illi affixerat hortatu Cl. Viri Antonii Felicis Zondadarii; tunc quidem Legati Apostolici munere fungentis in Urbe Regia; postea autem in amplissimum purpuratorum Collegium cooptati, apud quem etiam exstabat, & quidem Martini manu scripta. Ille igitur, abjecta veteris amicitia verecundia, totque Martini erga se meritis impac-
to calce; opus illud, à Martino exantlatum, Romæ edidit anno MDCCXVI. cum levi tantum mentione Emmanuelis Martini: rem totam industriæ suæ tribuens; cum re verâ, nec monumentum illud unquam vidisset; ac tametsi vidisset; in alieno foro (ut dicitur) litigasset: cùm nihil ad illum pertinerent ejusmodi studia. Nec ullus adhuc ante Martinum fuisset, qui Theatrum illud fuisse, vel per somnium cogitasset. Neque edidit solummodo Alcarazius, sed Martini verba corrupit, mutavit, præcîdit, ac miserè laceravit: ut addidisse aliquid de suo videretur. Hoc cùm rescisset Emmanuel Martinus; Mantuæ novæ in Carpeta-
nis

nis, postridie Nonas Aprileis, anno MDCCXVI. literas dedit ad Janum Vincentium Gravinam, veterem fidumque amicum suum, quibus enixè ab eo flagitavit, ut causæ suæ patrocinium susciperet, ita ut homines intelligerent, Alcarazium esse furem & plagiarium Dissertationis illius *De Theatro Saguntino*. Cætera præsentia, quam Martinus cogitabat, reliquit. Gravina literis acceptis scelus illud apud eruditos omnes arguere Neapoli, ubi forte erat: & XVIII. Kal. Sept. ejusdem anni ex eadem urbe rescripsit, se cum calor remiserit, Romam rediturum, ibique post sollemnem clarigationem, judicium statûs instituturum, inque agenda Martini causâ, operam ab illo olim sibi egregiè, atque constantissimè navatam, abunde ei rediturum; injuriasque illius ultum iturum, non per amicos tantùm, sed per prætoriam, uti vocabant, discipulorum suorum cohortem, per quam leoninam perduelli illi pellem, detracturum pollicitus, vulgato ubique vero illius libri auctore. Et profecto fidem suam egregiè liberavit.

104 In hoc rerum statu decrevit tandem Martinus Regiam Urbem relinquere, & Alonam petere; inde Romam, ubi reliquum omne suæ vitæ tempus jucundissimè transigere sperabat. Quod consilium Hispali jam ceperat, executionemque ejus animo agitabat, Hispanien-

nienſium rerum faſtidio propellente eum. Igitur liberatus à podagræ moleſtia, Matrìto Alonam profectus eſt, ineunte Majo.

105 Tunc Alonæ degebat Philippus Bulipho Neapolitanus in Alonenſi tractu Regii ærarii Præfectus vigilantiffimus integerrimufque, Jurifconfultus graviffimus, qui in Neapolitano foro cauſarum fuerat Patronus egregius, eruditiffimi Bernardi Monfalconi in itinere Italico individuus comes, Græcæ linguæ non ignarus, Latinæ callentiſſimus, hiftoriæ tum prophanæ, tum facræ peritiſſimus, maximeque dogmatum Chriſtianorum. Quarum virtutum fundamentum prudentia & modeltia ſingularis. Cum tam egregio viro Martinus amicitiam iniit arctiſſimam, & in ejus confuetudine, vitæ ſuæ jucunditatem, quandiu Alonæ commoratus, repoſuit.

106 Quod ad res domeſticas attinet, erat ſibi ancilla Africana conſcribillata fronte, colore ſubfuſco, gracilens, exſucta facie, genis adductis, ætate vergente, addicta tantum culinæ, & rei pulmentariæ, ac præfecta cacabis patiniſque. Mulier Apicianâ elegantiâ, & digna profectò lautiore penu. Sed tamen ſemper delectavit Martinum valde in mediocritate mundicies. Mulier itidem alia cui commiſſa cura rei domeſticæ, nihilo liberaliore facie; ſed haud indiligens, bene morata, verecunda,
offi-

officiique tenax. Ad hæc puella quædam impubes, ultro citroque commeando, mandatisque perferendis. Denique adolescens quidam, qui sibi, ut Æsopus erat suo domino, solus esse poterat familia. Nam lucubrations Martini & emendatè exscribebat, & scitâ fatis elegantique formâ. Nec enim Latinè nesciebat. Idem à cyathis, à veste, à pedibus, ab epistolis. Si quando mœror eum invadebat, musicis etiam modulis ac concentibus animum ejus exhilarabat deliniebatque. Nam & fidibus didicerat, & cantillabat, & versiculos pangebatur. Hæc erat totius familiæ Emmanuelis Martini summa: præter quam habebat catellam, cui à colore rostri *Μελανόρου' γχον* nomen indidit, quasi *Nigrirostram* dixeris.

107 Quod ad domum attinet, ea quidem opportunissimo sibi loco sita erat. A sacra nimirum æde muro tantum interjecto dirempta. Boreæ Eurique flatibus præcipue obversa. Quo fiebat, ut ab æstu minus laboraret, blandiente utroque spiritu. Itaque Decano magnopere invidebatur ob æstivas commoditates. Universa domus interior summam habebat dignitatem. Pavimenta enim laterculis versicoloribus constrata erant mirâ concinnitate varietateque, tecta leniter convexa, ac nitidissimo tectorio obducta, in quorum umbilico
scul-

sculpturæ prominebant auro renidentes. Cubiculum à viæ strepitu semotum, sepositumque, juxtaque aliud arctius seruo accumbenti Libris eximius locus obtigerat; eo nitore atque elegantia, ut sacelli potius faciem referret, quam Bibliothecæ. Itaque Martini contubernales habitabant basilicè. Adjacebat museum, quasi deditâ operâ ad id exstructum exornatumque, ut cimelia reconderet adseruaretque. Itaque numismatibus ac reliquæ vetustæ suppellectili eum locum addixit. Scalæ demum, atrium, podia pensilia in viam projecta, pro dignitate omnia. In summâ habitabat laxè magnificèque. Illa tamen omnia nihili fecisset, ipsaque illa commoda omni interitu acerbiora duxisset, nisi prudentissimi doctissimique viri Philippi Buliphonis amicitiam conjunctionemque sibi obtulisset Divina Providentia. Ille animum in ea librorum inopia ac literatum solitudine ægrescentem suavissimis alloquiis erexit, atque sustentavit. Quo eximio ac singulari in Decanum Alonensem studio id effecit profectò, ut minus eum vitæ lucisque tæderet. Unà ibant deambulatum, eruditæ serebant quæstiunculas, plenis faucibus de rebus differebant ad philologiam spectantibus: imo potabant etiam. Sobriè tamen, atque ut decebat Sapientiæ alumnos, qui præter amœnas ambulationunculas, hiberno tempore

sta;

statis noctibus conveniebant, non tam laxandi, quàm erudiendi animi causâ.

108 Verum hæc omnia Martinum à proposito Romam proficiscendi amovere non potuerunt. In hunc finem omnia sua negotia celeriter expedivit, impedimenta que amovit. Primum omnium scripsit Josepho Speculo Episcopo Orcellensi, orans ut juberet Anastasio Martino Parisiis degenti, ut aut in Ecclesia Alonensi resideret, Vicarii munere fungens; aut ab eo se abdicaret. Josephus Anastasius Martinus Episcopo respondit, se imperata facturum; Decano ipsi scripsit, iter suscepturum intra paucos dies; & paulò post, eundem fecit certiore, sequenti die profecturum. Quo nuncio accepto, Decanus qui reliqua negotia jam expediverat, sarcinulis in navim coniectis, veste, libris, numismatis, secreto in navim conscendit Nonis Majis anni MDCCXVII. constantissimo proposito nunquam in Hispaniam redeundi, quoniam in ea literis quas deperibat, colendis fruendisque commoditatem nunquam invenerat idoneam.

109 Postridie Nonas Majas circa noctis conticinium è portu Alonensi solvit tranquillo inmotoque mari. Sed paulò post Eurus cœpit eum vexare: quicum viribus aucto per biduum conflictatus fuit, verberatis incassum undis: ut jam Martinum adversæ navigationis

tz.

tæderet. Hunc cibi cupidissimum infomnia conficiebant. Itaque noctu surgere, nauticam pyxidem scrutari, rimari ventos, nausæ marisque jactationi minimè obnoxius. Obtigerat illi in puppi cubiculum fanè quàm opportunum, quod clavi obserabatur. Itaque ejus reculæ pulchrè adservabantur: quod ei multùm placebat: nam semper fuit nitoris & elegantiae cupidissimus. Unum erat sibi perquàm molestum, mensa: quæ fordida profectò atque illiberalis: ut sibi videretur inter Scythas potius, quàm inter Anglos versari. Ergo tetro ciborum adspectu & illuvie ad id inediae redigebatur, ut buccellatum tantum vino intinctum reficiendis viribus abhiberet, vel Indicam potionem. Donec ineptissimo illo coquo Anglo procul amandato, rei patinariae Ligur præfectus fuit. Cujus tanta erat artis popinariae peritia, ut Navarchus ipse vel unctas patinas avidissimè liguriret. vi. Eidus circiter primam vigiliam ventus ad Vulturum recessit. Itaque ad Cæsiam prorâ directâ aliquanto commodius navigavit. v. Eidus Ebusum prætervectus fuit, eâ insulâ ad dextram relictâ. iv. Eidus densissima nebula navigantes obtexit, usque ad horam quartam: quo tempore pelagus nuper placidum, crispari cœpit, Africo ingruente, ac dissipatâ caligine. Itaque Balearibus ponè relictis, ante solis occasum Barci-

no-

nonem præternavigaverunt , senefcente jam vento. Pofterâ illucefcente caligo iterum navigantibus diem abftulit. Sed horâ quartâ Aufter illis auxilio fuit , quo protrudente finum Narbonenfem ingrefsi funt , Hispaniâ multum valere jufſâ. Eidibus circa diluculum ante portum Maſſilienfem conſtiterunt , inter ſcopulos qui complexu ſuo ſtationem quandam efficiunt , viſu profectò jucundiſſimam , navibusque tutiſſimam. Horâ ferè ſextâ , relicto Maſſilienſium portu , licet infeſtiſſimo Euro pervicacius reflante , conſiſi tamen funt Angli navim in altum provehere , mirantibus Maſſilienſibus eorum audaciam. Afluit tamen auſis fortuna : nam adoleſcente nocte , cùm Eurus defeciſſet , præſtò fuit Caurus , quo impellente , promuntorium Maſſilienſe feliciter flexerunt. xvi. Kalendas Junias in mari Ligufico diem contriverunt , inertiffimâ tranquillitate detenti , velisque fluitantibus. Poſtera dies atra , & mœrore plena. Incubuit enim vehementius Aquilo , quo acrius urgente , & in immenſum tumente mari ; fœdiſſimâ tempeſtate correpti fuerunt. Plena omnia tumultu & exſanguis pavore. Velum decumanum medium diſciſſum , utrinque linteis volitantibus. Circa ſolis autem occaſum , cum ventus poſſuiſſet , periculo quidem exemti fuerunt. Reſtabat tamen moleſtiſſima certaminis pars , jactatio nempe à

G

TU

tumore fluctuum, & inertia maris: quæ navigantes perpetem illam noctem, & sequentem diem sævissimè exercuit; ut nec stare, nec jacere, daretur, præ maris jactatione. Eâ nocte ante portum Genuensem steterunt. Quem sequenti die ingressi sunt, sævissimo Euro repellente. Cum autem portus ille Euri flatibus maximè pateat, eoque naufragiis infamis Gubernatorque præcedentis diei crapulâ adhuc madidus importuno loco ancoram jecisset, in ipso nimirum portûs ostio; eâ fluctuum sævitiâ laborare cœperunt, ut trium ancorarum funes abrupti fuerint; solâ navigantes sustentante sacrâ ancorâ; in qua una salutis spes. Nec illis auxilio esse poterant reliquæ naves, quæ in ancoris stabant: propterea quòd nondum nomina professi fuissent. Immo cum funem ad terram alligare vellent Angli, præsto fuit nonnemo ei rei præfectus, qui tribunitio veluti imperio intercessit. Sed inter has angustias Divinum auxilium periclitantibus affulsit. Repente enim atra nubes ac terribilis, quæ urbi ac navi imminebat, eo impetu reflare cœpit, ut Euri vim fregerit; navigantesque intuto locaverit. Cui certè acceptum retulerunt quòd incolumes terram tetigerunt. Quam Emmanuel Martinus deosculatus est circa horam nonam, fame confectus ac madore. Nam in ea navis colluctatione puppis fenestræ, crebro

bro undarum assultu fractis repagulis, discus-
sisque valvis patuerunt; admissoque pelago
penè submersus fuit. Ergo undecimâ die quam
Alona solutum est, Genuam appulit, incolu-
mis quidem valensque. Ibi Musico dramati in
theatro non semel interfuit. Ac sibi profectò
videbatur in alium terrarum orbem esse dela-
tus, quemadmodum ipse scripsit Buliphoni
suo, literis quas Genuæ dedit xxii. Kal. Junias.
In ea urbe commoratus fuit undecim dies. Inde
se contulit Liburnum, ubi sex dies mansit. Per-
tæsus navigationem, pedibus iter per Etruriam
continuavit. Invisit Pisas, Florentiamque. Senis
biduum commoratus fuit cum Cl. viro Ale-
xandro Zondadario, Archiepiscopo Senensi
amico suo perveteri. Denique sex dies insum-
sit ut justis itineribus Liburno perveniret Ro-
mam. Quam Urbem ingressus fuit iii. Nonas
Junias, tanto cum gaudio, ut tum demum no-
vam, jucundissimamque vitam incipere sibi
videretur.

110 Pridie quàm Martinus ingrederetur
Romam, Joachimus Alcarazius qui aspectum
ejus sustinere minime audebat, excessit Ur-
be, & Venetias profugit. Inde trajecit in
Bataviam, ubi furiis agitatus *Mitrbam Marti-
ni*, famosum carmen publicavit; & paullò pos-
tea mœrore confectus decessit, piè, & Catho-
licè, ut Christiana pietas credere jubet; nam

in eo juvenē nihil unquam non laudabile animadversum fuit, præter nimiam gloriæ cupiditatem, nimiumque sui amorem : quibus occæcatus, certamen adgredi ausus, infelix puer, cum Martino, Achille literario impar congressus.

111 Emmanuēli Martino Urbem ingresso præsto fuerunt ad omne humanitatis genus veteres amici. Quibus minimè cessit, neque in aliquo officio se vinci passus est, recentissimus amicus Cæsar Laurentius Bulpho Philippi frater, qui ad primum Martini adventum, ei in domo, supellectile, veste, ac familia comparanda, multum commodi attulit.

112 Afluit etiam Martino omni officiorum genere Janus Vincentius Gravina eruditæ Jurisprudentiæ lucidissima fax. Librum ille scripserat singularem *De Romano Imperio* ad Augustulum usque. Et jam absolutum habebat *De Romano Imperio Germanorum* opus alterum ex primi Libri principiis necessariâ consequutione deductum, eâque arte atque cautione (prout sibi quidem videbatur) contextum, ut veritatis & partium offensionem (erat enim Europa sicuti nunc, partium Borboniarum Austriacarumque studiis divisa) unâ vitaret. Eam tamen editionem ad Martini adventum differre voluit, ejus consilio & operâ, si qua esset necessaria, usus. In illo opere Gra-

vina contendebat probare, Imperatorem Carolum VI. cui ipse erat addictissimus, habere certum Imperii genus in ceteros Europæ Reges, tanquam sibi subditos, sibi que obnoxios. Martinus opere perlecto admonuit Gravinam, ut sibi consuleret, nescire illum, quid fera dies veheret crebroque ei inculcavit Euripideum illud

Qui sibi sapiens non est, ne quicquam sapit.
Quo pacto deterruit hominem ab eo libro publicando.

113 At eodem tempore Martinum cupido incessit relinquendi aliquod ingenii monumentum sui. Cujus desiderio ut amicus ejus satisfaceret, Bibliopolas ac Typographos Oxonienses consuluit de Eustathio edendo. Quo frustra tentato, Monfalconio Martinus indicavit cupiditatem suam edendi Eustathii metaphrasim, vel Epistolarum volumen: habebat enim plurimas, quas ad eruditissimos Europæ viros dederat, aut ab iis acceperat. Monfalconius ut proxenetæ officio melius fungeretur, ante omnia voluit ut Martinus sibi recenseret, cujus generis esset Metaphrasis, cujus item Epistolæ: num ad Historiam illius temporis essent opportunæ, quam librorum nandinatores optare solent. Scire quoque voluit quâ mole futurum esset opus: denique, ut omnia minutatim describeret: promisitque se nihil non

G 3

actu.

acturum, non modò ut votis ejus faceret factis, sed etiam ut laudi & famæ ejus consulere: quam inter amicitia conditiones maximam esse putabat. Respondit Martinus Metaphrasim suam Eustathianam universam illud opus Latinè exhibere: tam scilicet quæ ad rem Grammaticam pertinent, quam Mythologica, Philologica, & Historica, nullo denique vocabulo prætermisso. Habere se in promptu duo volumina justæ molis elegantissimè emendatissimèque transcripta: in animo sibi esse, si Bibliopola Parisienses operi edendo animum adjicerent, interea dum illis excudendis operam navaretur, curæ sibi fore reliquam Iliadam expedire, consilio de Odyssæâ in aliud tempus relicto. Ad Epistolas quod attinet, rescripsit, habere se ad ducentas, ut ad varios, ita variè scriptas, emendatè tamen. Hæc omnia frustra tentata, nam verbis hinc inde commutatis, nihil peractum fuit.

114 Dum hæc agitarentur, Martinus literarum, literatorumque amantissimus, amicitias antiquas confirmare, novas sibi conciliare, musea frequentare. Homini autem gratiosissimo & celeberrimo omnia patebant.

115 Pomeridianas horas transigebat in Bibliopolio Corvi ad Paschini statuam. Eò enim conveniebant literatissimi homines, Janus Vincentius Gravina, vir amœnissimi in-
ge-

genii , Abbas Adamus Cardinalis Imperialis Bibliothecarius , adolescens eruditus , auctor *Arcadiæ illustratæ*; aliique viri scriptorum laudibus clarissimi. Adeo autem ibi indulgebatur genio , ut sæpe soleat dicere Decanus , se nusquam dulcius quàm ibi vitam egisse. Cum aliquando in Corvi bibliopolio , in maximo eruditorum virorum cœtu , super argumento quodam nec inepto , nec obvio Martinus accurantius differeret ; quidam ex illis , qui eum de facie non noverat (Abbas nimirum Baratta) *Peream* , inquit , *nisi tu es Alonensis Decanus. Ingeniū tui præstantia prodit te.* Quo laudis genere fatebatur se maximè delectatum.

116 Per illa tempora Carthusiani Fratres habebant Romæ celeberrimam numismatum antiquorum gemmarumque sculptarum collectionem , quæ quadraginta mille unciis argenteis æstimabatur , todidemque , ut fertur , vendita fuit Carolo VI. Imperatori. Vix ulli patebat aditus ad tantum thesaurum. Nam ut pretiosior haberetur , eum Monachi quantum poterant , celabant. Sed simul ac Decanus Alonensis significavit , cupere se illum inspicere , omnia ei patefacta , præsentem Cœnobiarcham. Cujus indulgentiæ benignitatisque statim apparuit consilium. Erat scilicet in illa collectione nummus maximi moduli circulo æreo inclusus , in cujus altera facie videbatur caput

juvenis nudum : in adverfa autem instrumenta facrificalia , ut fimpulum , afpergillus , præfericulum , ferespita , lituus , dolabra Pontificalis , & albogalerus , five apex. Litera nulla fcripta erat. Contendebant Fratres caput illud effe M. Marcelli Augufti ex forore filii , & ex adoptione fuum : adeoque gloriabantur , numifma illud fingulariffimum effe. Multis circuitionibus ufi fuerunt ut Decanum Alonenfem pertraherent ad fuam illam fententiam , optabantque ut eam confirmaret Differtatione aliqua. Sed Decano in alia omnia eunte , pervicere nihil. Nam apertè dixit , declaravitque , caput illud non Marcelli , fed Augufti effe , cùm annum ageret decimum oétavum , five viceffimum. Affeveravitque , nunquam fe aliter fcripturum locuturumve , atque animo fentiret fuo. Cùmque veritas foieat odium parere , Decani fermo ægre auditus fuit : adeoque ille nunquam eò redire voluit , fabellamque detulit ad M. Antonium Sabbatinum Clementis XI. Pont. Max. & poftea Imperatoris Caroli VI. Antiquarium , quem eruditi omnes , ut antiquariorum Principem , & antiquitatis oraculum in re nummaria venerabantur. Hic Decani constantiam laudavit , adjunxitque , fe idem fentire , fimul narrans , fratres juffiffe numifma illud in æs incidere , & Parisios miffiffe eodem confilio ; & inde fimile refponfum accepiffe.

Cum

117 Cum egregio illo viro Martinus familiarissimè vivebat, adeò ut illius muscum, quoties vellet frequentaret. Nimirum habebat Sabbatinus locupletissimam antiquitatis penum, cui ornandæ septuaginta annos acriter infudaverat, plurimaque quæ in agro Romano, vel casus obtulit, vel sedulitas invenit, gazophylacii sui ornamento paraverat. Quin & ipse Sabbatinus jam octogenarius frequenter ad Decanum ibat, ut eum consulere de multis rebus, quas se ignorare fatebatur. Scilicet in eo praxis erat major, quàm eruditio: illam longo usu paraverat. Præterea cùm animadverteret Sabbatinus, quàm præclarus artifex Latinæ linguæ Decanus esset, non semel usus fuit ejus opera Latinis epistolis scribendis, ac nominatim illis, quas dedit Academiae & Urbi Bononiensi, consilium pandens, eis legandi pretiosissimam suam rei antiquariæ Collectionem. Sed Sabbatinum antiquarium præstantissimum, nihil æquè in admirationem rapiebat, quàm exquisitissima & mirabilis dispositio numismatum Decani Alonensis. Nimirum hic anno MDCCXVIII. Aprilem impendit Augustorum nummis in seriem digerendis, scrinio ad id prius elegantissimè exasciato ac dedolato, laterculis quibusdam buxeis volitantibus, qui singula numismata exciperent cum eorum Inscriptionibus, adjectâ Chronologiâ: tam novo
&

& exquisito artificio, ut eruditi ferè omnes, qui in Urbe, & genio, & ingenio erant paullo elegantiore seriem illam cum ingenti animi oblectatione plausuque spectaverint. Maximè Sabbatinus, qui miraculo rei attonitus, confessus fuit, se quadraginta jam annos simile inventum inquirere, neque ad illud usque tempus tale quidpiam præstare, aut videre potuisse.

118 Ex intentiore illa opera studioque in valetudinem oculorum incidit Decanus, qua gravissimè vexatus, toto Majo domi se inlatebravit, & quidem in tenebris, quò luci, atque aëri, infensissimis sibi hostibus, intercluderetur aditus.

119 Ut meliusculè esse ei contigit, Præneste cogitare cœpit, mitioris puriorisque auræ usus beneficio; unàque vetustissimi illius Fortunæ templi ad insaniam usque magnificentissimi ruinas superstites lustraturus. Cùmque Kalendis Junii summo mane eò se deportasset, Philippi V. Hispaniarum Regis Edictum, horis oppidò paucis à Martini discessu promulgatum fuit, in quo continebatur, Hispanos omnes Urbe facefcere, nulli fas esse, supplicem libellum porrigere, ambire, prensare, uno verbo: interdici iis Romanâ Curiâ. Allata fuerunt in album omnia nomina, distributæ securitatis schedulæ: indictum fuit, irent quò
vel-

vellent. Qui maturius obtemperasset, è re sua fore. Contra nitentibus pœnæ gravissimæ constitutæ, perpetuum exilium, bonorum publicatio, ignominia. Emmanuel Martinus, hoc nuncio accepto, confestim Cæsari Laurentio Buliphoni negotium per literas dedit, ut suum absentis nomen profiteretur, ejusdem discessum, & discedendi causam exponeret: simul ac vis morbi remitteret, è vestigio se affore. Interea Regis jussu exosculari, atque amplecti.

120 Eâ curâ expeditus ad Prænestina monumenta rimanda se convertit. Veteres reliquias annorum injuriâ fœdas, ac penè oblitteratas, altius contemplatus fuit. Exstat hodie pavimentum Musaico operæ insigne artis miraculum, ac Sullano sceleri expiando par. Nullum superest toto terrarum orbe præstantius monumentum. Nimirum Sulla devicto & occisso Mario juniore, qui in Asylum illud confugerat, pœnitentiâ tanti sceleris tactus, ut Fortunam sibi propitiaret, templum illud augustissimum amplitudine atque ornamentis ad stuporem usque nobilitavit. Pavimentum illud erat in abditissimo Dææ penetrali, ubi sortes edebantur à loco dictæ *Prænestina*. Incredibili voluptate perfusus ibi fuit Martinus, cum ubique appictum vidit sigma illud falcatum, sive lunatâ formâ, quod circa Antoninorum tem-
po-

pora in Occidentem primum invecum critici aliqui censent ; alii verò retrahunt ad Augustævum. Quorum opiniones jugulari sibi persuasit , illo intemeratæ fidei testimonio , Plinii etiam auctoritate consecrato.

121 Deinde inspexit Antonini Augusti Villam , quæ etiam hodie visitur in agro Prænestino , bona sui parte superstes , domestico Antonini luctu nobilis. Amisit enim in ea Anniū Verum , quem triduo tantum luxisse , veterum monumentis proditum est.

122 Cùm dies jam undecim Præneſte egisset , ac magni ad dignitatem suam interesse arbitraretur , quamprimùm ad Urbem redire ; collectis sarcinulis , effedo conductitio denuò Romam contendit. Quò pervenit pridie Idus Junias , in ipso diluculo , oculis adhuc lippientibus ob viam pulverulentam. Ut pulverem excussit , potione Indicâ languentem stomachum recreavit , ac modico somno artus refecit , ex nocturno itinere ac perpeti vigilia confectos. Continuo ad Ædes Regias , ut Cardinali Francisco Aquavivæ , tunc Hispaniarum Regis apud Pontificem Oratori , se sisteret. Statuerat ille eâ ipsâ die Albam longam Romuli Remique patriam proficisci , eratque jam petasatus penulatusque. Iccircò ad colloquium non fuit admissus. Indictumque sibi , ut Albam ad illum contenderet. Illo officio functus , in Urbe

be mansit usque ad XII. Kal. Quintileis, cum ut ex oculorum languore confirmaret se paululum, tum ut res domesticas in tuto locaret. Præfagiebat enim vehementer Româ se abfore usque ad autumnum. Igitur expeditis rebus domesticis, Tusculano secessu uti visum est, amœnissimo juxta ac saluberrimo. Leniendum quippe erat diuturnum Urbis desiderium aliquo lenocinio. Ergo XII. Kalendas illò se contulit, vegeto quidem & valente corpore; nisi quod oculi tenelli adhuc ac delicatuli: ex crebra nimirum itatione, nocturno aëre, ac pulveris injuria.

123 Est in Tusculano Monte, qui hodiernæ Urbi imminet, Marchionis Sacchetti luculentissimum prædium. In eo Villa sita est, & loci amœnitate, & salubritate aëris, & structuræ elegantia, & supellectilis munditiâ, longè præstantissima. Eam vir humanissimus (quem jam olim omnibus amoris officiis, ac singulari observantiâ prosequabatur) Martini villicationi, sive secessui addixerat. Tam opportuno igitur officio usus, eò se contulit: ubi omnibus corporis animique illecebris largiter perfusus, vitam quandam nactus sibi videbatur, beatam immortalemque. Quicquid pedibus premebat, veteris Tusculi reliquiæ erant ac disjecta membra. Perstat adhuc, obduratâ adversus annorum insultus constantiâ, ædificium quod-

quoddam nobile, ac, vel femirutum, majestatem quandam præ se ferens. Fama est eam fuisse M. Tullii Villam. Vulgo appellant *Ciceronis Scholas*. Illò Martinus animi causâ sapius accedebat, ac mirâ quadam voluptate perfusus, memoriâ ac recordatione tanti viri, penè exultabat gaudio, sibi que videbatur illum differentem audire, ac divinas illas *Quæstiones Tusculanas* recitantem. Adeò ut sibi interdum temperare nequiret (quemadmodum ipse scripsit ad Baliphonem suum ex ipsa Villa Tusculana) quin exclamaret: *Salve, Cicero, æternum eloquentiæ columnen. Manes tuos invo-co. Sic terram experiare levem, ades pacatus; nobisque divitis tui eloquii laticem instilla*. Eò infantiæ rapiebat Martinum reverentia loci. Quem etiam nobilitant circumjacentia antiquitatis monumenta, ut templum Jovis Latialis, sepulcrum Furii Camilli, Villa M. Catonis. Si libebat spatium, vel opacum frigus captare, quocumque se vertebat, jucundissimæ patebant deambulationes, in immensum ferè porrectæ, densissimis ac procerissimis arboribus opertæ æstivo æstui arcendo: quibus nihil illecebrosius excogitari poterat, præsertim torrente sole. Accedebat philomelarum, cæterarumque avium cantus, quibus aures perpetuò demulcebantur. Denique affluebat omnibus deliciis. Verecundè tamen iis fruebatur. Ne-
que

que enim iccirco librorum curam abjecit : sed ruris hilaritatem & laxamenta , cum studiorum utilitate conjunxit. Legit enim D. Joannis Chrysoftomi priora duo volumina , quæ Monfalconius eorum eruditissimus concinnator & Scholiastes , sibi dono miserat. Nec deerant graviorum studiorum diverticula , Bucolici Græci & Latini , Catulli lepôres , Ciceronis munditiæ familiares. Scripsit etiam plusquam centum versus , quibus suæ Arcæ nomine peregrinationes suas elegantissimè descripsit : cujus Elegiæ continuationem in tempus distulit opportunius.

124 Ex oculorum interim morbo paullulum recreatus , ad v. Kal. Quintileis Albam se contulit. Quò cum pervenisset illucescente die , ac matutinus sopor Cardinalis Aquavivæ domum adhuc teneret ; visum est interea donec expergiscerent , Urbem lustrare felicissimam , quæ immortalem illam Æneæ progeniem , terrarum orbem subacturam , sinu suo fovit , ac stupendo naturæ miraculo , Romulum genuit , æternæ Urbis conditorem. Urbe igitur ex sententia obitâ , domum revertit , Principem salutatum. Quo ille officio perhumaniter accepto , Martinoque ad colloquia admissio , omnia in eum contulit amoris singularis , honorisque testimonia ; nam nec aviti splendoris magnitudo , nec dignitatis fastigium , nec com-
mis-

missi sibi ab Rege Catholico muneris gravitas, impedimento ullatenus fuerunt, quominus lenitate sua uteretur adversus Martinum, eumque amplexaretur ac foveret, mensæ tandem adhiberet. Statuerat Princeps ea ipsâ die ad Urbem reverti. Itaque advesperascente jam sole, cum eum ad vehiculum Martinus & qui ibi aderant, adduxissent, fausta omnia precati, ad Sacchetti petorritum conversus Decanus unâ cum ejus domino (aderat enim Marchio prandioque interfuerat) eoque consensu Tusculum versûs iter arripuit, jussu aurigâ ut quam lentissimè currum traheret, cum ut amœnitate viæ altius fruerentur, tum ut Sacchetto, poëmata quædam Thusca disertissimè recitanti, ne rotæ obstreperent, frangeretque impetum dicentis motus concitator.

125 Tusculi manere constituit aliquot dies, in utrumque paratus, aut transigere ibi periculosissimum anni tempus, cœli enim intemperies reditum in Urbem intercludebat; aut Alonam repetere, si fortè res non detumescerent, ubi primùm observaret idoneam navigandi tempestatem; nam navigationem suscipere mari clauso periculosum erat. Cum autem hominum cogitationes perquam fallaces sint, utriusque consilii periculum fecit: nam ubi infestus aër deferere cœpit, Romam rediit,

diit, & paullo post necessitate adactus, iter in Hispaniam arripuit.

126 Illud autem est admiratione dignum, quod Romam reversus, etsi tanto curarum æstu fluctuaret; tamen literarum consuetudinem non dimiserit: dies enim integros transigebat in museo Leonis Strozii, Clementis XI. Infulati domestici. Quod museum insigne erat, meruitque ut Decanus illud describeret elegantissimo Epigrammate, quod multi viri eruditissimi transcripserunt; Dux autem Strozius aureis literis exscriptum collocari iussit ad musei postes.

127 Nec diu in Urbe Martinus mansit, cum in eâ permanere rerum publicarum status minimè sineret. Tunc distraxit celebrem suam numismatum veterum collectionem, in qua vitæ jucunditatem collocabat. Nimirum communicare illam cum aliis (qui præcipuus est studiosi laboris fructus) omnino desperabat; cum rediturus esset in patriam, ubi de aliis quàm recentibus nummis, tractare, perinde est ac cum ratione insanire, ac ludibrio haberi. Mense igitur Octobri, post decem & octo menses quàm in Urbe fuerat, valedixit Martinus Urbi terrarum dominæ, ac jucunditati vitæ; quam dolore oppressus finiisset, nisi Deus ei occurrisset præsentissimis auxiliis, & singularissimo favore.

H

Re-

128. Reditus in Hispaniam fuit improſper. Sæviffimis enim tempeſtatibus vexatus, vix tandem litus tenuit ad Fanum Sancti Romuli. Unde piſcatorio lembo denuò conſcenſo, ob terreſtris itineris in eo tractu difficultates, Antibum appulit. Inde verò per Provinciam & Occitaniam Alonam remigravit poſt ſeptem & ſaxaginta dies, quàm Româ egreſſus fuerat. Impeditiſſimo quidem itinere, ob res jam tum ab bellum vergentes, & occupatos ſuſpicionem animos. Tamen etiam per ſenticeta & anfractus incolumis Alonam pervenit, Valentia obiter ſalutato Mignanâ veteri amico, quem ubi domi ſuæ pedes fixit ad ſe viſendum invitavit ſuaviſſimis Hendecasyllabis, quos panxit IV. Eidus Decembreis An. MDCCXVIII. & Lectoris delectandi gratiâ ſubjiciuntur hic.

*Mignana, ò vetus integer ſodalis,
Noſtri delicia, lepos, venuſtas;
Quem tot jam miſerè tuli per annos
Abſentem tacita ſilere charta;
Si tibi igniculus vetuſti amoris
Forte inter cineres adhuc ſuperſtes
Manet, nec perii omnis excidique;
Sive Turiacis aquis rigata
Prata, fertilis atque amœna campi,
Sive tu colis inclytam Saguntum,
Et ſtrata Annibalis furore teçta;
Linque Turiacis aquis rigata*

Tu

*Tu prata , atque fide inclytam Saguntum ,
 Nosque jam propera videre saluos.
 Martinus variis freti periculis
 Functus , jam patrios tenet penates,
 Optatumque solum Illicis præaltæ,
 Nec tutus rabidas timet procellas.
 Martinus vetus hospes atque ocellus,
 Quem tu plus oculis tuis amabas,
 Et dicta illepada inficetiasque
 Laudare es solitus jocosque ineptos.
 Ergo si incolumem videre amicum,
 Amplectique cupis , mora rejecta,
 Festina Jovis ocyor sagitta,
 Mignana , ò vetus integer sodalis,
 Nostri delicia , lepos , venustas.
 Adstabunt Veneres , Cupididine,que,
 Et crebri sonitum dabunt cachinni.*

129 Alonam reversus , scripsit aliquas observationes in Aristophanis Comœdias , quem Auctorem ille ut Atticæ venustatis principem semper veneratus est.

130 Paullò post , è Sardinia literas accepit , quibus enixè rogabatur , ut vendere vellet seriem numismatum Consularium , quæ sibi supererat. Constabat ea quingentis & septendecim argenteis nummis diversi typi. Decanus Euclionem Plautinum imitari nolens , qui divitias suas absconditas habebat ; non abnuit , & Andreas Bonitus , Neapolitanus , ex peran-

tiquâ nobilissimâque familiâ , & apud Regem Catholicum Chiliarcha , thesaurum illum abstulit.

131 Adhuc ei supererat series numismatum Græciæ , quæ *Antiqua* vocatur. Series item numismatum Siciliae , quæ Græca etiam, sicut & magnæ Græciæ. Quibus accedebant Hispaniæ antiquæ numismata topographica; & ejusdem nationis nummi quamplurimi cum characteribus incognitis propter priscae linguæ ignorantiam. Quæ omnia numismata ad septingenta , aut octingenta , numero perveniebant : eaque vendidit Anglo cuidam tædio gazæ infructiferæ in eo tractu , ubi harum rerum admirator nemo prorsus ; possessoresque ipsi ludibrio sunt ac despectui.

132 Sic Martinus renunciabat voluptatibus suis , & deliciosissimis illis studiorum fructibus , quos in anteaucta vita perceperat. Quo factum fuit, ut in magnum incideret mœrorem; & vitam miserabiliter aprupisset , nisi præsto ei fuisset Philippus Bulipho , vir prudens , doctus , eruditus, maximisque virtutibus ornatus. Is oppressum erexit , languentem refecit , ac semianimem recreavit. Quo factum fuit ut Decanus paullatim rediret in consuetudinem librorum , quos habebat eximios , per omnem vitam paratos , ad animi profectum , & oblectamentum.

In-

133 Interea dum Decanus animum confirmabat suum, literas accepit à Cardinale Francisco Aquaviva & Aragonio, quibus eum urgebat, ut cujusdam operis Dedicationem Romæ sibi promissam quantocyus mitteret. Nimirum Jacobus Pizeus suam Decissionum Rotæ Romanæ Collectionem in lucem edebat. Primum volumen dedicaverat Philippo V. Hispaniarum Regi; secundum dedicandum Cardinali Julio Alberonio ad exitum perducebatur. Tertium destinatum erat Illustrissimo Cardinali Francisco Aquavivæ. Hic Emmanuelem Martinum profectionem ab Urbe Roma maturantem postulavit, ut sub Jacobi Pizei nomine Prosphonesin conscriberet: & ut in ea aliquid de Aquavivarum gente diceretur; dedit ei duo volumina ad suæ Familiæ decus spectantia. Adjunxitque id sibi fore gratissimum. Cùm Alonæ igitur Decanus Urbis desiderio contabesceret, mœstitiâque oppressus nec literam appingere auderet; contigit ut exacto anno, & volumine Aquavivæ destinato absoluto, necesse fuerit Pizeo patrocinium quærere in altero Mœcenate, dilato Aquavivæ obsequio in sequens volumen, donec Decanus mitteret Prosphonesin suam. Ab eo igitur Aquaviva per epistolas postulavit, ut fidem suam liberaret: id sibi fore gratissimum. Quamvis autem multi Romæ illi rei suam operam pollicerentur,

tur , respondit Eminentissimus Purpuratus , se id officium ab uno Alonensi Decano desiderare. Si id obtineret (uti credebat) votis suis esse potiturum ; siñ autem ; nullo sibi fore in pretio Pizei obsequium. Paruit tandem Decanus & anno MDCCXIX. scripsit epistolam Profpheticam Jacobi Pizei nomine , eamque misit illustrissimo Principi , qui cùm eam accepisset , præ gaudio exiliens , è suo exiit conclavi , omnibusque iis qui officii causâ convenerant , Dedicationem ostendit , & clarâ voce dixit : *Se equè aestimare Profphesin illam , ac purpuram qua induebatur.* Tam alto immortalitatis amore tangebatur.

134 Anno hujus sæculi vigesimo , cùm initio cursûs literarii , qui altero die post Divi Lucæ festum incipit , Salmanticam ingressus fuisset Josephus Martinus , Emmanuelis frater consanguineus , Jurisprudentiæ ediscendæ gratiâ ; tunc Gregorius Majansius , adolescens literarum amantissimus , cùm de Emmanuelis Martini eruditione , & eloquentiâ plurima Valentia accepisset ab Josepho Emmanuele Mignana , & Thoma Vincentio Tosca , viris sapientissimis ; & aliquas ejusdem epistolas Salmanticæ legisset sibi communicatas à doctissimo viro Josepho Borrullio Valentino , tunc Juris Civilis in Academia Salmanticensi Antecessore primario , nunc in Granatensi Curia Se-

na-

natore litibus judicandis ; opportunam nactus occasionem benemerendi de tam præclaro viro , ejus fratrem Josephum adiit , liberaliterque ei pollicitus fuit omnem suam operam , diligentiam , pecuniam ; denique quicquid posset : ac simul literas ei dedit ad Decanum , quibus eum ad amicitiam secum ineundam provocavit. Cùmque ille accepisset , tùm à Fratresuo nuncium præclarissimorum officiorum , tùm à Majansio literas benevolentiam plenas ; fratri suo jussit , ut Gregorii Majansii amicitiam coleret , & consuetudine ejus frueretur ; à Majansio autem rogavit , ut fratrem suum , quem ultrò amaret , arctius amplecteretur : quicquid doctrinæ in illum conferret , se acceptum relaturum , maximamque à se initurum gratiam , si præceptis , consiliis , monitisque suis eum adjuvaret atque promoveret. Ex eo tempore Gregorius Majansius , qui libris solum intentus , & paucissimis in ea Urbe cognitus (utpote cum Vincentio Mascarellio Societatis Jesu , Josepho Borrullio , Mathia Chafreone , Joanne Caprario , popularibus suis , cum Joanne Abarisqueta Societatis Jesu , Joanne Infula , Didaco Ferdinandezio Cordubensi , Carolo Elizondo , Simone Balneario , Alphonso Quirosio , paucisque aliis lectissimis viris , solùm communicans , umbratilem & solitariam agebat vitam) existimavit sibi non solùm glo-

riofum, sed utilissimum fore, cum eruditionis principe consuetudinem habere literariam, ut & stilum exerceret, & uberrimos doctrinae fructus ab eo perciperet. Nec summus vir conditionem respuit, cum consideraret adolescentem illum, qui à nullo præclaro Magistro institutus ad haud aspernandam sermonis munditiam atque elegantiam pervenerat, posse ad aliquam eruditionis famam pervenire, cum & ingenium ei esset satis acutum, & studium erga literas ardens, & iudicium pro ætate acre. Inde igitur natum celebre illud & pervulgatum Majansii cum Martino literarum commercium, & mutuus utriusque amor nunquam violatus.

135 Existimabat Martinus, parùm se satisfacturum Majansii amori erga se eximio, nisi amicos illi conciliaret suos. Itaque Eidibus Januariis An. MDCCXXII. significavit Majansio, rem illum patraturum sibi sanè perutilem ac perhonestam, si in amicitiam suam pelliceret Philippum Buliphonem Regiis vectigalibus in Alonensi tractu Præfectum, eximium Jurisconsultum, Latini sermonis æquissimum æstimatorum, Græcâque etiam suppellectili mediocriter instructum: quique juxta secum Majansium amaret. Adjunxit expeditum esse talem hominem sibi devincire, Majansio laceffente, ac se proxenetâ. Cui rei officia sua pollicitus. Opportunam occasionem avidissimè arripuit.

Gre-

Gregorius Majansius. Philippo Buliphoni scripsit eum in amicitiam provocans, quam cum illo iniit arctissimam.

136 Post aliquot dies, Martino ac Buliphone jubentibus, literas dedit ad Gregorium Majansium Cæsar Laurentius Bulipho, Philippi frater, Mantuæ novæ degens, vir humanissimus, & optimis artibus excultus, adjunxitque simul *Apasterosin* Martinianam recens editam in Urbe Regia. Nimirum Emmanuel Martinus volebat posteritati relinquere aliquod monumentum amoris, obsequii, observantiæ erga Philippum Buliphonem, summum amicum suum. Itaque cum anno MDCCXXII. anniversario more accessisset ad Villam Popilianam sitam in Agro Alonensi, sextili mense continuavit absolvitque Tusculi olim inchoatam Elegiam, cui titulus *Ἀπαστέρωσις*, sive *In Astrum conversio*. In eâ Arcam, vicennialium peregrinationum comitem, itinerum attritu ac vetustate fatiscentem quadam veluti consecratione inter Astra collocavit. Quam Elegiam ubi absolvit, misit Philippo Buliphoni. Hic statim transmisit ad fratrem suum ut eam publici juris faceret, siquidem Matriti erat satis idoneus typographus, recentes characteres, nitida charta, & Janus Interamnensis Ajalæus, diligens emendator. Prodiit illa Elegia cum aliquot Epistolis argumentum ejus aliquâ ex par-

parte declarantibus, & cum elegantissimâ Præfatione Cæsaris Laurentii Buliphonis, recensionem accurante Jano Interamnensi Ajalæo, qui carmen præmisit lectu dignissimum in Auctoris laudem, ac præterea Judicis Ecclesiastici jussu Elegiam approbavit; & ex decreto Regii Castellæ Senatûs, Cl. ejusdem Consiliarius Hieronymus Pardus, vir gravissimus, & eruditissimus. Irridebant infulsi nebulones consilium publicandi poëmation, quod videbatur solùm continere ineptam fictionem; ignari profectò Elegiam illam, nihil aliud esse quàm Historiam Peregrinationum Decani Alonensis; Præfationem autem, recensum præcipuorum operum ejus, ut Hispanis animus crearetur ad illius patrociniûm suscipiendum, sufficiensque necessarios sumtus ad præclarissimorum Operum publicationem. Quod cum attentè considerasset Gregorius Majansius, *Apasterosews* artificium, eruditionem, elegantiamque admiratus, eam Elegiâ quadam celebravit, quam, quia plurimi fecit Emmanuel Martinus, visum est non importunum hic adjungere.

*Arca, pererratis toties terraque marique,
Arcanis Domini fida ministra tui:*

*Bis denas experta hiemes cum perpete motu
Restituens Domino credita quæque tuo.*

*Post varios casus, post tot discrimina lætor
Esse ministerio præmia digna tuo.*

GRA-

Gratulor ereptam vitam formamque caducam,

Et superi jussam fornicis esse jubar.

Salve igitur, præclare nitor, decus addite cælis.

Nostraque per lucem fac rata vota novam.

Invidiosa hominum jam noli mentibus esse.

Divitias tantas non aperire nefas.

Sunt tibi quæ nolint Arpinis cedere chartis:

Quæque tibi invidiam, Mantua clara, parent:

Per quas Varronis facilis jactura videri:

Atque iterum Latii lingua vigere queat.

Sunt quibus antiqui macetetur gloria sæcli,

Aligeri reprimi possit & ira senis.

Queisque revelentur causæ momentaque rerum:

Nec non prisorum dogmata sancta virum.

Sunt quæ Cecropiis scripta videantur Athenis;

Illarum eloquium nec periisse sinant.

Et quibus Argivi cupiant cum gente togata

Cernere de lingua, Roma diserta, tua.

Istæ divitiæ, magis & pretiosa recordis

Siqua istis, pateant, nobilis Arca, rogo.

Sic tu sis posthac insueta luce coruscans,

Ipseque non tali Phosphorus igne micet.

Sic fratres Helenæ tibi lucida sidera cedant;

Et Bereniceo vertice cæsa coma.

Sic toto cælo non sit fulgentius astrum,

Quodque magis nitidum fundat ab arce jubar.

Sic cæli meliore plaga tibi sistere detur,

Unde oculis hominum suspiciare nitens.

Sic

*Sic Domini semper videas ad crescere famam,
Dum serò superos augeat Indigetes.*

137 Elabebatur annus vigesimus secundus, cum Cl. Josephus Octavius Bustanzius, vir excellentis iudicii, omnibusque bonis artibus instructissimus, nunc Reipublicæ Genuensi à Secretis apud Regem Catholicum, Genuâ Alonam appulit, ibique aliquod tempus commoratus fuit. Cum Decano Alonensi consuetudinem iniit familiarissimam arctissimamque, utriusque meritis validissimè firmatam. Nam & Bustanzius semper suspexit illam Martini multiplicem rerum cognitionem cum eloquentia mirabili conjunctam; & vicissim Martinus semper adamavit egregiam illam Bustanzii indolem cum eximia prudentia copulatam.

138 Ineunte eodem anno vigesimo secundo, Illustrissimus Marchio Scipio Maffei Veronensis, qui quam plurimis ingenii sui monumentis immortalē gloriam sibi peperit, literas dedit ad Decanum Alonensem, quibus in amicitiam illius recipi optavit. Aperuit ei consilium magnæ Inscriptionum Sylloges publicandæ, & Collectioni præmittendi *Criticam Lapidariam*. Opem igitur auxiliūque à Decano imploravit, plurima ab eo petens, nec vulgaria neque tralatitia. Quibus omnibus Emmanuel Martinus cumulatisimè satisfecit:

usus

usus prætereà liberalitate maximâ : nam ei misit Inscriptiones quadringentas decem & octo: inter quas Valentinae, quas Decani jussu fidelissimè descripsit Majansius, & ad eum misit mense Decembri ejusdem anni. Præterea veluti mantissæ loco Maffeio misit Martinus centum & sexaginta numismata ad Hispaniam pertinentia. Quorum pars erat percussa Latino caractere; reliqua, plusquam octuaginta scilicet, vetere Hispano, eruditis omnibus ignoto.

139 Annus vicesimus tertius memorabilis est novâ amicitia excellentissimi Viri Antonii Judicis, Juvenatii Principis, qui cum noscere vehementer cuperet Martini sententiam de Inscriptione quadam pervetustâ, quam ipse inter cimelia sua asservabat; ab eo accepit epistolam eruditissimam, Auctoris exquisitam doctrinam, & pronum obsequium erga tam eruditum Principem, testantem. Qui quoties Martini scriptum aliquod videbat, continuo legere, describere, diligenter custodire, & apud omnes celebrare censuevit.

140 Deinde magnum silentium consequutum est. Etenim non sibi tantum oculi caligare, sed & palpebræ ignei cujusdam humoris affluxu, molestissimâ quadam prurigine infestari cœperunt. Quod cum Bibliopola quidam Londinensis rescisset, anno vicesimo sexto ad eum

eum venit ; specie quidem ut libros ejus videret ; re autem , ut , si fieri posset , pretio ab illo extorqueret. Igitur iis diligenter inspectis , animi sententiam aperuit. Nec furdo dictum est , nec nolenti. Itaque tribus verbis transacta res fuit. Valde enim cupiebat Martinus libros distrahere , quorum nullus sibi usus , oculorum vitio. Neque subsidium sibi ullum ab optice. Simul enim sibi tenebræ oboriebantur. Ad hæc cruciabatur animo in illa bonarum artium solitudine nondum sibi licuisse personam mutam exuere , quam per tot annos sustinuerat. Ut ne studiorum suorum ratio ulterius sibi fraudi esset. Denique (quod omnium caput erat) præfagebat fore , si libros reliquisset superstites , ut scombris piperique essent cuculli , thurique involucri præberent , vilioribusve usibus deservirent. Nam sæpè in Hispania quò rarior est liber , eò despectior haberi solet. Itaque angore potiùs animi ac desperatione , quàm sponte atque ex sententia , invitam suppellectilem domo abegit , & in ea etiam Dioscoridem plantis minio expressis spectabilem sibi à Gregorio Majansio dono missum : in quo Martinus singulis plantis nomen appinxerat Hispanum. Quæ nomenclatura debuerat in Hispania manere , ut aliquando Dictionario Hispano-Latino valde imperfecto , suis in locis infereretur. Præterea Martinus imprudens tra-

di-

didit aliquas Homeri Rhapsodias inter libros latentes, quas ipse fecerat Latinas. Quo factum fuit, ut autographa ipsa perlata fuerint Londinum. Qua in Urbe titulo *Bibliothecæ Martinianæ* vendita fuit Decani Alonensis Bibliotheca non admodum numerosa, sed in qua nullus liber erat despiciendus, plurimi verò exquisitissimi rarissimique, ferè omnes nitidissimis characteribus excusi, earumque editionum, quæ maximè celebrantur. Semper enim fuit amantissimus non solum librorum, sed optimorum. Adeoque eorum conservationis nitoreque amore scripsit leges ad *Bibliothecas* pertinentes, quas plurimi viri eruditi suis præfixere. Cùmque eas legisset Cardinalis Alvarus Centigneus, vir maximi ingenii, ingeniorumque adeò æstimator acerrimus, non dubitavit scribere, *Gravinam si viveret, illas inserturum esse inter leges XII. Tabularum.*

141. In eo mentis æstu, cùm scilicet libros domo ejecit, ac ut ipse dicebat, cùm sibi manus intulit, ac viscera sua discerpfit, Hendecasyllabos panxit, quos, ut posteritas admiraretur œstrum illud propè inimitabile, visum est adjungere.

Infauftis avibus libri exarati,

Et chartæ steriles, abite in ignem.

Quin vobis malè sit, probrosæ, inertes.

Cassæ literæ; in crucemque fontes.

Ite,

Ite, triste mihi atque inane nomen:
 Tuque invisa Minerva, diva fallax,
 Gnavæ perniciæ bonæque mentis,
 Futilis Dea, numen inficetum,
 Lethale illicium, facesse longè.
 Nostram desine fascinare mentem.
 Odi teque, dolosque, abominorque
 Pellaces laqueos, laboriosas
 Quis soles animas, potens nocendi,
 In triste exitium vocare. Noctes
 Insano studio, atque pertinaci,
 Exhaustæ, malè collocatæ, inanes,
 Peristis penitusque funditusque.
 Sævo numine lucubrata scripta,
 Infaustis avibus libri exarati,
 Et chartæ steriles, abite in ignem.
 Olim deliciæ, quies, levamen
 Languentis domini, & labore fessi:
 At nunc quisquiliæ, meræque nugæ;
 Et gerræ illepida, valete multum.
 Sacræ Mulcibero flagrate chartæ.
 Absumat pluteosque codicesque
 Vulcani rabies. Vorate cuncta.
 Quæ me intemperia, furorque adegit,
 Ut lustrare adytum, sacrumque repostumque
 Auderem stolidus, sacrumque limen
 Minervæ? atque sacros movere postes?
 Heu! me perdidit ingen! venustas.
 Huc, huc, Bibliopola nundinator,

Tot

Tot volumina , sarcinas inertes,
 Aufer hinc , apinasque nenasque.
 Evolvant quibus obsequentiozem,
 Et letam Superi dedere sortem.
 Me Fortuna premitque conficitque
 Atrox , lurida , tristis , invidensque.
 Utque olim Citharædus ille , vitam
 Duxi 'αααα'οααα , silente fama,
 Ignotus patriæque civibusque,
 Atque inglorius. O ! satis superque
 Vecorsque desipui. Valetate prisca.
 Nugarum satis atque ineptiarum.
 Tintinnabula vana , barbarique
 Stridores , Scythicæ sonus loquelæ,
 Regnate incolumes vetante nullo.
 Mirentur stolidique stipitesque
 Rixosum strepitacula morionum;
 Inanesque sonos , nuceſque caſſas,
 Et ſqualentis agri aſpra ſenticeta.
 Nos , quiſ contigit auribus Batavis
 Verba fundere , verberare ventos
 Incuſſum , & ſteriles arare campos;
 Stertamus validè , atque utramque in aurem
 Dormiamus. Iners paemat ſupinum
 Somnus , obſtrepero ſonante roncho.

142 Ex eo tempore Decanus valere juſſit
 Minervam , nactus ſteriles literas , & ingratham
 patriam. Cepit etiam conſilium mitigandi
 ſpiritus , celandi ſapientiam ſupra cæteros , &

I

unum.

unumquemque alloquendi pro singulorum cap-
tu. Tantum verò tædium scriptionis cepit,
ut deinceps vix ad unum aut alterum literas
dederit, præterquàm ad Gregorium Majan-
sium, quocum literarium commercium inter-
misit nunquam. Itaque Majansius habet & di-
ligentissimè custodit omnes epistolæ, quas ab
eo accepit, Hispanâ linguâ conscriptas, tam
vividis sententiis, tantâ gratiâ ac lepore, ut
in eo genere nihil Hispana lingua habeat, ne-
que disertius, neque elegantius: neque quic-
quam reperiri potest quod tanti ingenii excel-
lentiam æquè ob oculos ponat.

143 Anno hujus sæculi trigesimo, cùm
Illustrissimus Baro Jo. Theodoricus Schom-
bergius totam Europam peragrasset, & cum
eruditissimis viris hujus cultissimæ orbis par-
tis communicasset, universâ Hispaniâ perlus-
tratâ, redire noluit Dresdam patriam suam in-
salutato Martino, Hispanorum eruditissimo,
& Antiquariorum Principe. Extremo itaque
mensis Maji Alonam adiit, v. Kal. Junias De-
canum convenit; cum eo aliquot horas allocu-
tus, tanti viri eruditionem & eloquentiam ad-
miratus fuit, & summum virum magnopere
amare cœpit. Significavit ei Schombergius,
velle se Valentiam videre Regni Metropolim,
statimque Decanus ei dedit commendatitias
litteras ad Gregorium Majansium. Quibus ac-
cep-

ceptis adolescens officiosus omni quo potuit obsequiorum genere acerrimum illum ingeniorum æstimatorem, liberalissimumque literatorum Patronum sibi devinxit, quantum potuit. Is Dresdam redux, de Republica literaria benemereri cogitans, literas dedit ad Gregorium Majansium, per quas enixè petiit, ut à Decano Alonensi manuscripta omnia extorqueret, & ad se mitteret; eodemque tempore pollicitus fuit, curæ sibi fore, ut ederentur Lipsiæ. Mandatum illud suscepit Majansius, & cum Decano statim agere cœpit. Re-nuebat hic manuscripta sua committere itineri mediterraneo periculorum pleno. Cùm autem Majansius semel iterumque negotium urgeret, Decanusque jam solùm prætexeret editiones Lipsienses, quæ licet correctæ esse soleant, plerumque tamen parum sunt nitidæ causâ chartæ, similis emporeticæ; pollicitus fuit Majansius non solùm autographum salvum fore, sed editionem etiam futuram nitidissimam: sicque à Decano tandem obtinuit, ut manuscripta sua describi sineret, autographum apud se retineret. Fidei suæ sponsores locupletissimum Majansius adhibuit Cl. Schombergium, ad quem rem omnem detulit. Quo nuncio accepto Illustrissimus Baro, v. Eidus Sextiles anni MDCCXXXII. Emmanueli Martino scripsit, se in patriam reversum, eruditis viris per-

cunctantibus, quinam potissimum viri apud Hispanos principatum in literis tenerent, in primis indicasse Emmanuelem Martinum, & quid scripsisset, quàmque præterea multa elaborata & ad editionem matura in manibus haberet, copiosè explicuisse. Quo factò agebat Schombergius, tantùm omnes incessisse ardorem, etiam reliqua Martini scripta videndi, ut tanquam totius Germaniæ literatæ nomine, à se flagitaverint, provideret quantum posset, ne ea interciderent; posse enim facillimo negotio apud Lipsienses typis excusa, vel sic ab interitu vindicari. Idem addidit, se recepisse apud eos, omnem se operam impensurum, ut illud Emmanueli Martino persuaderet; proptereaque id obnixè rogasse, tum per Majansium, tum per se ipsum. Denique promisit, se quantum in se esset, omnem curam adhibiturum, ut non modo quàm correctissimè, sed etiam elegantissimo typorum charactere, & in charta nitidissima excuderentur. Poterat enim Lipsiæ, modo sumtibus non parceretur, tantæ bonitatis charta, ut in ipso Belgio inveniri. Qua de re fidem Emmanueli Martino suam Illustrissimus Schombergius interposuit. Itaque rogavit, ut omnia Opera sua describi sineret, & descripta ad se transmitti pateretur. Horum enim quò plura, eò futura apud eruditos homines gratiora. Martinus Schombergii

gii literis acceptis , rescripsit se incredibili voluptate perfusum fuisse , cum literarum fautorem , sui que famæ que suæ amantissimum adeò in se propensum videret ; considerare tamen frui se non posse tanti viri beneficio , propterea quòd exscriptor idoneus inveniebatur nullus. Adjunxit ea quæ ipse elucubraverat , inter lituras jacere ac sæpè inextricabiles : ad hæc aliquibus in locis à bibula charta literas exscutas. Quæ omnia Auctoris ope , imò & operâ , maximè indigebant. Quibus difficultatibus interceptus , multa flammis se tradidisse dixit : quæque supererant in idem fatum propendere. Quò igitur se verteret nescire , nisi quis bonus genius manum porrigeret laboranti. Se nequire tamen non mirari egregiæ ejus indolis præstantiam , ac benevolentia aduersus se eximium testimonium : qui unius Majansii amori , etsi acerrimi iudicii juvenis , tantum detulisset , ut eo impulsus in hominis exteri atque ignoti ornamenta & commoda , omnes amoris officiorumque copias effudisset : se omnem moturum lapidem , ut ei morem gereret. Fortè adfuturum Deum aliquem ex machina.

144 In hanc sententiam scriptas literas Martinus oculorum vitio laborans Majansio misit , ab eo describendas obsignandasque. Quas cum legisset adolescens fidei suæ tenacissimus cultor , dixit se non audere ejusmodi

nuncium perferre ad Cl. Schombergium, cui spem prope certam manusciporum transmissionis fecerat. Et ne quam excufationem vir summus prætexeret, adjunxit Majanſius, habere ſe amanuenſem qui manuſcripta illa paratus eſſet deſcribere. Victus vir humaniſſimus, tum precibus amiçiſſimi juvenis, tum deſiderio obſequendi nobiliſſimo Baroni; reſcripſit Majanſio jam habere ſe deſcriptorem, viderique ſibi, eum intra quadrimeſtre deſcripturum Epistoſas omnes: has enim ſolum (cæteris Operibus ſuis ſilentio traditis) edi volebat Martinus, utpote ingenii ſui præſentiſſimam imaginem. Quo nuncio accepto, de eo Majanſius certiore fecit Schombergium, Martinique literas ad eum miſit. Sed paullo poſt, malo quodam genio obſiſtente, compertum eſt, exſcriptorem illum, quem Martini amici tantopere laudaverant, nedum ſcribere, ſed nec exſcribere, imò nec legere ſcire. Quare iterum editionis ſpes inanes redditæ. Urgente tamen Majanſio ad importunitatem uſque, ſtatuit tandem Decanus Epistoſas autographas ei mittere, & ejuſdem curæ committere, ut quæ vix legi poſſent, liturarum, aut bibulæ chartæ cauſâ, ipſe deſcriberet (neque enim alterius negotium erat) deinde ſingulas prout ſibi videretur, ordinaret, ordinatasque in Libros deſtribueret, & poſteâ mitteret ad Illuſtriſſimum Baronem

Joan-

Joannem Theodoricum Schombergium. Quoniam verò Decanus laborabat hebetudine oculorum, & quicquid adsciscebatur externæ operæ averfabantur, ac respuebant, nec aliquid operæ auxiliæ ab optice mutuari licebat; ideò Majansio facultatem fecit urendi secandive quicquid ei videretur. Quo tamen jure adolescens ille uti noluit: sed, ut sunt scriptiones privatae, & variæ, & de rebus fortè publicè silendis; verècundè ei proposuit, quæ Lectores nonnullos nimis delicatos poterant offendere; Decanusque statuit quod è re sua visum est, relictis nonnullis, quæ Majansius quadam veluti religione tactus, omittenda censebat. Epistolas illas Majansius tantâ aviditate accepit, ut tribus diebus omnes perlegerit: deinde maximo labore quamplurimas descripsit; disposuit omnes ordine temporum; in duodecim libros distribuit; denique legit iterum; in adversaria referens quicquid ad Decani vitam videbatur conducere. Idem præstitit in Hispanis Epistolis, quas à viro habet eruditissimo. Quo factum est, ut ex dissipatis illis reliquiis, incorruptissimis tamen veritatis monumentis, hanc contexuerit Vitam, proprio adhibito judicio.

145 Dum hæc omnia gererentur, Anno MDCCXXXI. Matrili decessit Josephus Anastasius Martinus, Decani Alonenfis Vicarius: cui Pontificiâ facultate obtentâ, subrogavit ille

ornatissimum juvenem Franciscum de Hoyos, qui dignitate illâ decoratus tres menses & dimidium, in Alonensi Ecclesia solum octo dies refedit, & è vita migravit. Huic substituit Decanus Thomam Fabianum, juvenem spectatissimis moribus, prudentem, & doctum, sectatoremque Gregorii Majansii. Elegit eum mense Novembri anni MDCCXXXII. & possessionem iniit xi. Kal. Aprileis anni MDCCXXXIII.

146 Rebus ita se habentibus, cum Epistolæ ordinatæ essent, prætermisiss multis ad Martinum datis; casus incidit improvifus, qui spem earum editionis elufit. Nam res Poloniae turbari cœperunt; deinde bellum exarfit; & literarum commercio interdico, spes Lipsienfis editionis evanuit. Saltem eam in longum tempus differri necesse erat, donec scilicet belli fœviffima tempeftas detumefceret. Sed Deo Optimo Maximo providente factum est, ut Epistolæ in Hispania publicatæ fint, earum editionem accurante ipfo Majansio, cujus diligentia multum profuit, ut possent typographi omnes Epistolas perlegere, ut variorum, ita variè, id est pessimè interdum exaratas. Nimirum Majansius Matritum ut Regi esset à Bibliotheca accitus fuit; & fortè contigit, ut Illustriffimus vir Josephus Octavius Bustanzius Reipublicæ Genuensi à Secretis apud Regem Catholicum, duceret eum ad
am-

amplissimum virum Benjaminum Keene Regis Angliæ Legatum cum plenâ potestate apud Hispaniarum Regem, virum omnibus Oratoris artibus instructum, & ad sanciendo pactio- nes, fœdera, & reconciliations Principum veluti natum: qui cum sit etiam liberalium studiorum cultor elegans, & admirator egregius; cum inter Majansii Epistolas legisset aliquas Emmanuelis Martini, dixit se harum lectione valde fuisse delectatum, ac desiderio accensum videndi alias. Quem nuncium cum ex Clarissimorum Bustanzii, & Majansii literis accepisset Martinus; è vestigio suarum Epistolarum autographum misit ad Illustrissimum Keene, qui ut thesaurus ille communis esset omnibus, iussit eum publicari, adjuncto ejusdem Decani Libro *De Animi Affectionibus*, quem à Greg. Majansio dono accepit. Nobilissimus autem Bustanzius voluit etiam publicari *Emmanuelis Martini Vitam*, quam ab ipso Majansio scriptam fuisse sciebat, hoc pacto consulens utriusque amici famæ & gloriæ.

147 Interea Decanus vitam agit Alonæ curis ac sollicitudinibus vacuam, homine sapiente dignissimam, famæ despectricem, veræque immortalitatis tantum sectatricem; amicis bonisque omnibus pro ejus incolumitate apud Deum vota suscipientibus, & ea decen-
na-

nalibus, imò vicennialibus, ac tricennialibus, juncundè solvere optantibus.

148 Emmanuelis Martini statura justa est; capilli subcrispi canis nigrisque commixtis; frons ampla; supercilium canum sublatumque; oculi cæsi, quales Minervæ dixit esse Poëtarum Princeps; nasus & os justæ magnitudinis; color rubicundus; facies liberalis: incessus gravis: voluntas ad exsequutionem prompta: ut facilè agnoscas, in ejus corpore regnare bilinguem: quod ille magnum naturæ bonum existimat, quoniam eâ præditi, licet irasci faciles sint; idonei tamen sunt ad studia literarum.

149 Vexavit eum sæpissimè capitis dolor, studiosorum comes assiduus. Præterea morbus qui Græcis *εΦιάλτες*, Latini *Incubus* dicitur. Hoc tamen discrimine, quòd ille solet esse nocturnus; hic pomeridianus. Quam ob causam aliquot annos coactus fuit post prandium quiescere sedentem. Quo pacto caput habens erectum, eo morbo liberatus fuit. Aliquando solet infestari podagrâ.

150 Nitore munditiæque amantissimus est, & simul lautitiæ. Adeò ut frequenter dicere soleat, se nullam aliam ob causam divitias appetiturum, nisi ut eruditos homines apud se haberet accumbentes: ita ut ejus mensa Gymnasium esset amœnissimorum ingeniorum. Quod

Quod votum consentaneum est antiquorum moribus, testantibus Platone & Plutharcho in Symposiis, & Athenæo in Dipnosophistis. Itaque cutem suam optimè curat, mensam habens, etsi derepente accumbas, satis hospitalem. Aquæ potor est avidissimus, vini parcus.

151 Corpus ejus robustissimum est: sed æstûs molestiam ægrè perfert. Ideòque urbano æstu adigente rusticari solet, animique recreandi causâ, ambulationibus utitur opacis amœnisque. Propterea illi nihil rure gratius, vel agresti simplicitate venustius.

152 Est in agro Alonensi Villa quædam, loci amœnitate, salubritate aëris, sitûs opportunitate præstantissima. *Popiliana* dicitur: vulgo, *del Povil*. Ea est Martini anniversaria rusticatio. Cum eò se confert, quicquid serium ac triste, valere jubet; nisi quòd aliquando opera rustica contemplatur, & imaginem prisci ævi. Ibi igitur abjectis urbanis tricis, sibi uni consulit, fruiturque commoditatibus omnibus, quas ad honestam voluptatem villa habet egregias.

153 Primum omnium est in eâ areola quædam ad solem occidentem obversa. Huic ab oriente ædificium imminet. Ab occasu autem procerissimæ quædam forbi, in tabernaculi morem oppansæ, umbram quidem efficiunt opacitate suâ longè jucundissimam. Nec tamen sine molli aëris perflatu. Frondes enim

au-

auræ Zephyrive appulsu ac motatione leniter micantes, illecebroso quodam susurro aures demulcent: flatuque frigidiusculo cute perfrictâ, summâ voluptate recreatur animus atque perfunditur. Præterfluit rivulus, gratissimus profectò, leni murmure labentis undæ. Etsi non ille perennis ac jugis. Statis enim diebus tantùm adlabitur, agrorum nimirum irrigationi. Quò fit, ut eò gratior ille adfluat quò expectatior. Supernè vitis expanditur, quæ transversis perticis ridicisque suspensa, per easque lætissimis palmitibus flagellisque perrepens, soli torrenti intercluso aditu, universam aream obumbrat. A Meridie hortus excurrit, quem mites cicuresque plantæ fructuum varietate atque præstantiâ adeò nobilitant, ut in eo Pomonam Vertumnumque versari, facile credideris. A Septentrionibus aperta omnia atque patentia; quò saluberrimus ille spiritus liberè meet, seseque diffundat. Nec tamen oculis sua defunt illicia: proceræ ac luxuriantes ficus maturefcentibus fructibus onustæ, amygdali, sycamini. Denique quòcumque te vertas, amœna omnia, læta, viridantia. Adde avicularum lenocinia, philomelas, cardueles, regulos, modò cantillantes, modò procaci volatu atque petulco, quasi lascivientes ac ludibundas, se invicem petentes. Universam villæ frontem vitis alia pensilis opacat: quam

sta.

statuminum loco pilæ quædam sustinent, quæ transversas trabes excipiunt, tanquam juga canterii. Videas illic pendentes botros, & mirabili naturæ sollertiâ capreolis fultos serpere palmites. Qua deambulatione nihil jucundius fervente æstu: nihil opportunius amicorum congressibus. Illapsæ pilæ horti frontem, quæ è januæ regione protenditur, tanquam pinnae quædam coronant. Ut ne autem maceriæ objectu horti prospectus adimatur; totum illud spatium quod ad villæ angulos pertingit, decussatis arundinibus, quibusdam veluti clatris, sepitur & clauditur. Ad lævam est via publica, præter ipsam villam hortique macerias. Quò fit, ut ultrò citròque commeantium aspectus, animum loci amœnitate jam delinitum, novâ afficiat voluptate atque oblectamento. Scatet quippe via prætereuntium frequentiâ. Ducit enim ab oppido ad suburbiolum quoddam. Medium spatium tenet villa. Cujus horti maceria, oppidi extremas ædes contigit. Quod oppidum si percurras, in novas incidēs voluptates, animique laxamenta. Non enim illud, ut fieri solet in vicos, angiportus, latioresque vias, ac plateas, dissectum est atque expansum; sed uno tractu secundum amnem porrectum; cujus utramque ripam ædificia occupant, relictâ in medio viâ, novo quidem ac festivissimo conditu. Itaque domus quæ orientale

tale

tale latus occupant , singulos habent ad januam ponticulos , rivi traiectioni. Ad hæc suas arbores exadversum oppanfas , arcendo æstui. Identidem verò arboreta quædam vitibus oblaqueata , continuam illam seriem interfecant , latiore spatio iis relicto ; ædificiis aliquanto retractis. Qua structuræ novitate atque illecebrâ nihil esse potest jucundius. Dicas in iis arboretis Napeas , Dryadas , atque Hamadryadas suas exercere choreas ac lascivire. Ita omnia læta , hilara , amœna.

154 In hanc igitur villam excurrere solet Decanus ingruente æstu. Ibi cum sole surgit: matutinam conficit deambulationem : ut purissimo illo spiritu recreatus , si quid superest externæ fordis , decoquat ac detergat. Domum reversus , udam interulam exuit , siccam induit. Post id locorum , vel aliquid literarum leviter attingit , vel amicorum colloquiis vacat. Frequenter enim ad eum ventitant , cum è proximo oppido , tum è villis circumjectis. Omnia illic ad simplicis naturæ præscriptum. Nemo palpo cum percellit , nemo ei os sublinnit , nemo futelas struit , nemo fidem fallit. De re rustica multus sermo. Magnum fore vini proventum , eximiam olivitatem. Quando vineas fodere oporteat , quando ablaqueare , quando depampinare , quando mergos ducere. Quo tempore sit ferendum , quo occandum ,
quo

quo farriendum. Quid porca, quid lira, quid incilia. Uno verbo, garritur ad audientium captum palatumque. Advesperascente die, & animi exhilarandi, & exercendi corporis, in aliquam villam divertit: quò majori voluptate perfundatur aspectûs novitate. A crepusculo ore hiante auram captat, vel cum honestis colutoribus noctem eximit, vel saltantes rusticos spectat. Sic molestissimum anni tempus jucundissimè tranfigit, innocentibus deliciis perfusus, donec commodior anni tempestas in Urbem vocat. Sicque corporis sui incolumitati prospicit, à medicorum manibus præcavens, quorum semper fuit inimicissimus, ut Ferdinandus Nonnius Pincianus, Franciscus Quevedus, aliique viri doctissimi. Unde cum Romæ olim gravissimo morbo laboraret, ipse sibi potionem medicam præscripsit; & licet Georgius Baglivius, medicus celeberrimus, Decanique amicus familiarissimus, qui fortè tunc aderat, præsentissimum interitum illi denunciaret, si eam attingeret; tamen hausit impavidus, admirante Baglivo & propositum tenax, & effectum prosperum.

155 Animi dotes, quibus Emmanuel Martinus præditus est, præclarissimæ sunt. Ingenium acutissimum feracissimumque; memoria capacissima, unde sermonis illa amœnitas, quam tantopere prædicant quotquot eum audiunt.

diunt. Judicium acerrimum & severissimum. Quam ob causam paucissima scripta ei placent. Maximorum scriptorum admirator egregius est; mediocrium parcus laudator; futillium insectator acerrimus. Accedit philosophica libertas: unde multorum in illum odium. Scilicet ferme evenire solet, ut ægrè ferant literati alios præ se acutius cernere: & quod ipsi assequi non possunt, ingenii potius fastidio, quàm alterius licet doctioris perspicientiæ tribuunt. Hic tamen censor, non minùs aliorum, quàm sui ipsius est justissimus æstimator: ideòque adversùs ea quæ adolescens scripsit, inclementissimus fuit. Siquidem ferè omnia quæ scripsit in illa ætate, flammis comisit, cùm pleraque eorum orbis literarius cum admiratione legere posset. Ex quo tamen aliquorum odium, quos admonere voluit, expertus est, viventium scripta recensere abstinuit. Unus Gregorius Majansius meruit, dictis ab eo castigari. Etenim cùm illam critices viam, quam nunc plurimi tenent, per quam veterum Jurisconsultorum sententias potius corrumpunt, quàm restituunt, arripere tentaret, non sine ingenii speciosâ aliquâ ostentatione; adolescentem ad meliora natum à periculosâ viâ deterruit, & ad prudentioris critices usum adhortatus est: illius scilicet critices, qua sine studia omnia frustra suscipiuntur. Itaque adolescentulus ve-

ræ

ra gloriæ cupidissimus, repressâ ingenii licentiâ, tutiori via ad illustrandam Jurisprudentiam sese contulit: & critices sanioris usu eò progressus est, ut summus ille vir iudicii longè præstantissimi non solùm manipulatum in eum laudes contrulerit eximias; sed & candidè etiam confessus fuerit, quinquies se cum voluptate (ope licet collyriorum adjuvantium visum) legisse criticam illam Præfationem quam Epistolis suis Majansius præmisit.

156 In convictu & familiaribus colloquiis, facetiis jocisque maximè delectatur; salibusque; non quidem aculeatis illis ac vernilibus, sed innocuis ac liberalibus, dignisque homine honesto. Sermo illi amœnus, semperque vel urbanitate, vel joco, vel eruditione aliquâ conditus. In reprehendendo severus & acer, in admonendo mitis & placidus, in demerendo jucundus & comis, cum naturali quadam illecebrâ.

157 Ad literarum studia quod attinet, ad ea Emmanuel Martinus videtur natus. Ideò hiemis amator. propterea quòd eo tempore illis plus vacare potest.

158 Hispanâ, Etruscâ, Latinâ, Græcâque linguâ peritissimè scribit loquiturque. Plurimas alias egregiè callet. Adolescentulus magnus fuit admirator Justi Lipsii, cujus vivido ingenio valdè delectabatur. Deinde eum ab-

K

je-

jecit : & ut linguam Latinam sibi familiarem redderet , Plauto atque Terentio ; ut dicendi vim & majestatem compararet , Ciceroni impendit egregiam operam. Unde postea è propria natum experientia consilium illud ad Gregorium Majansium de vera imitandi ratione aliquid cupientem scire. *In epistolis ac familiari sermone ob oculos tibi semper versari debent Plautus atque Terentius , Latinae venustatis facile principes. Quos dum lego , peream nisi jocundissima quadam voluptate correptus , penè deficio. Quorum alter facetiis , ac sale , jocorumque festivitate , ceteris mortalibus plurimum præstat ; alter verò puræ emendatæque dictionis suavitate , & castimonia. Illò , tanquam ad certissimam Cynosuram , figendus obtutus. Indeque , tanquam è thesauris , Romani sermonis depromendæ divitiæ. Et paullo ante Quintiliani judicium sequens. Quemnam igitur , inquires , mihi imitandum proponam ? M. Tullium. Unus enim ille omnes Græciæ opes ad se transtulit. Vim Demosthenis , copiam Platonis , jocunditatem Isocratis. Ille terendus , ille nunquam aut vix , è manibus dimittendus. Tumque valdè te profecisse scias , quum Cicero valdè placebit. Præsertim verò Martinus assiduâ Plauti lectione proprium ex eo sibi stilum confecit , acutum , disertum , expeditum , fortem , incitatum , gravem , vehementem , & gra-*

gratissimæ elegantiaæ plenum. Neque minorem dicendi facultatem in Græca lingua assequutus est ; simili etiam viâ , lectione scilicet assiduâ castigatissimorum scriptorum. Itaque Aristophanem non minoris fecit , quam Terentium. Qua de re exstat ejusdem testimonium luculentissimum profectò , in Epistola quadam ad Josephum Joachimum Lorgam , juvenem bonis artibus instructissimum , & Latinæ linguæ in Valentina Academia Professore eximium. *Duos (inquit) ego in primis vetustos Scriptores oppidò miror atque obstupesco , castissimæ dictionis gloria nobilissimos. Aristophanem & Terentium. Utrumque fabularum scriptorem. Alterum Atticæ venustatis faciliè principem, Romanæ alterum. Tam ancipiti palma certantes , ut illum Græcum Terentium appellare soleam , hunc autem Aristophanem Latinum.*

159 Illud verò mirabilius quò paucioribus contigit. Cùm in oratione soluta multum valeat Martinus , in stricta etiam validissimus ad stuporem usque. Nam & Epigrammata scribit lepidissima , Elegias tenerrimas , maximi spiritus Odas , Hendecasyllabos pares Catullianis , & carmina heroica , gravitate & majestatem summâ.

160 Sophismatum & nugamentorum hostis est infensissimus : adeòque Scholasticas ineptias frequentissimè exagitat ; quarum nomi-

ne nihil aliud intelligit, quam Dialecticorum captiones infructuosas; philosophastrorum frigidas liticulas; Theologorum in rebus parvi momenti disputatiunculas otiosas. Nam alioqui ipse est disputator egregius, Philosophus acutissimus, & eximius Theologus.

161 Adolescens deditissimus fuit Scepticorum sectæ; summoque studio legit imbibitque Sex. Empirici celeberrimi Phyrronii Hipotyposes. Cujus sectæ studio adeò pertinaciter inhæsit, ut se ab eo divelli ægrè pateretur. Et certè insanabile salutis suæ inflixisset vulnus, nisi sapientissimus Cardinalis Aguirrius præscripsisset ei, ne in quinque horis à prandio proximis librum in manus sumeret. Quod si quando faciebat, severissimè illum objurgabat, & è manibus ei eripiebat libros.

162 Antiquitatis studio per omnem vitam se penitus dedit: cujus investigatione, & illustratione nihil habuit antiquius. Præcipuè verò rei nummariæ studium deperiit. Quod ipse existimat esse, non solùm amœnissimum jucundissimumque, sed utilitatis etiam plenissimum. Certè ipse confitetur ei studio se debere multum. Quem fructum ut percipere posset, magnis tùm sumtibus, tùm peregrinationibus per xx. annos collegit quotquot antiqua numismata invenire potuit. Itaque habuit seriem Regiam & Consularem, à Romulo primo Ro-
ma-

manorum Rege ad C. Cæsarem primum Romani Imperii assertorem. Quæ series constabat septingentis numismatis, quam An. MDCCXXI. sibi extorsit Andreas Bonitus, Eques Neapolitanus, Philippo Buliphone annitente pro cive suo. Habuit etiam seriem Imperialem integram, tam imperii quod *altum* dicitur, incipiens à C. Cæsare, desinensque in Imperatorem Gallienum, Saloninam ejus uxorem, Saloninum ejus filium, & Licinium Valerianum Juniores, à quo tempore incipit barbaries, omisâ potestate tribunitiâ; quæ temporum fideissima custos; quàm Imperii inferioris, à Gallieno scilicet ad Heraclium, sub quo, & deinceps, licet facta, quæ numismatis continentur, non sint æquè memorabilia; tamen habentur in pretio nummi; qui sunt alicujus rarioris Tyranni, aut ex illis Imperatoribus, qui paucos tantùm dies, aut horas imperarunt, aut uxoris alicujus Imperatoris, cujus nulla fit mentio apud Historicos: hujusmodi enim numismata custodiri debent, ut monumenta pretiosissima. Præterea habuit Græca quingenta, Coloniarum quamplurima. Denique Hispana vetera CCC. Quæ omnia cùm assidue versaret, legendo, ac meditando, id assequutus est, ut veluti ante oculos habeat antiquitatem omnem.

163 Singularem verò operam navavit ve-

K 3

teri

teri Alphabeto Hispano , eruditis omnibus incognito , restituendo , cujus specimen quoddam efformavit. Quod cœptum, licet humanis viribus majus; tamen peperit Emmanueli Martino plurimas observationes minimè vulgares, ejusdem ingenium & eruditionem egregiè testantes , & diligentiam multò illustriorem præ illa , quam reliqui omnes ante ipsum in eâdem re præstiterunt. Nam licet eruditissimus vir Antonius Augustinus multum sudaverit , ut eos characteres intelligeret ; se omnem operam lusisse confessus est. Abrahamus Gorlæus & Olaus Vvormius ea in re delirarunt. Quæ Vincentius Joannes Lastanosa Oscensis scripsit de incognitis Hispaniæ numismatis , futilissima sunt : neque quisquam eorum , quos in *Museo* suo Lastanosa laudavit , literam ullam intelligere potuit. Characteres illi ipsissimi sunt , quibus utebantur Hispani , antequam in hanc Provinciam ingrederentur Chartaginenses , Romanique , licet longo temporis spatio post eorum ingressum perseverarint etiam. Tamen Emmanuel Martinus post diuturnam obscurissimæ rei meditationem , specimen quoddam Alphabeticum formare tentavit ; illamque ab se excogitatam Alphabeti formam Illustrissimo Marchioni Scipioni Maffeo misit, licet ei non omnino acquiescens. Insanum est quantum in iis enodandis sudaverit , quantum ope-

operæ impenderit. Innumerabiles adhibuit collationes cum Alphabeto Phœnicio, Samaritano, Ionico. Sed omnia nequicquam. Copias quàm maximas potuit abstrusissimæ rei eruendæ. Insignia veterum aliquot Urbium Hispaniæ, Religionem, veterum oppidorum nomenclaturam, nummos bilingues, à quibus maximam sibi opem pollicebatur: omnes denique nervos, & noctes perpeti lucubratione exhaustas. Donec spe omni abjectâ, animum despondit, manumque de tabula. Quò illum etiam compulit præsentissimum quoddam insomnium; siue somnium illud fuerit, siue visio, quod verius ipse putat. Etsi autem aliena somnia referre, iterum somniare videatur, & fortasse etiam putidiusculum; tamen, cùm Hippocrates, Lucianus, Dion Cassius, aliique viri doctissimi sua retulerint, eosque Emmanuel Martinus imitatus fuerit; non ingratum erit, jucundissimam ejus narratiunculam hic intertexere iisdem verbis quibus ille scripsit eam, literis ad Maffeium datis Alona III. Eidus Junias, An. MDCCXXIV. in hunc modum.

164 „ Cùm ex continenti nocturni laboris
 „ agitatione fessus, somno tandem me tradi-
 „ disse; primo diluculo visus mihi sum per
 „ quietem, matronam quandam intueri au-
 „ gustiore formâ, dextrâ librum tenentem, si-
 „ nistrâ expansâ cuniculum. Quo ego symbo-

„ lo facile cognovi, eam speciem quæ antè
 „ oculos obversabatur, Hispaniam nostram
 „ repræsentare. Constitit illa, ac severâ oris
 „ majestate ad lenitatem composita, placido
 „ ac sereno vultu, ita me alloquuta est. Mar-
 „ tine, maximo me devinxisti beneficio perti-
 „ naci isto labore, operâ, studio, diligentia,
 „ in quæ ad me exornandam, resque nostras
 „ illustrandas, tantopere incumbis. Quare ad
 „ officii nostri rationem pertinere arbitrata
 „ sum, tibi me sistere: cum ut gratias tibi agam
 „ ob acre ac vegetum studium quod rebus
 „ nostris impendis (quod certè per mihi gra-
 „ tum perque jocundum) tum ut conatibus
 „ tuis adsim, tibi que manum porrigam, tot
 „ difficultatum angustiis circumvento. Sunt
 „ enim tantæ rei expediendæ copiarum tuarum impa-
 „ res, viresque imbecillæ. En igitur hunc li-
 „ brum. Mihi que eum librum porrexit, quem
 „ dextrâ tenebat. Quem cum accepissem ala-
 „ criter, avidè que utrâque manu explicuissem;
 „ oculosque in eum conjecissem, tanquam lec-
 „ turus; librum arripuit: iratoque ac torvo
 „ vultu: Infanis, inquit. Non enim legitur
 „ hoc volumen à fronte, sed à tergo. Libro-
 „ que clauso indignabunda disparuit. Somno-
 „ que ego è vestigio experrectus, mirari vi-
 „ sionis *ὄνειδος*. Videbar enim non tam dor-
 „ mire, quàm connivere; ipsumque illusces-
 „ , cen-

centis diei jubar aspicere. Erat enim jam diluculum, albescebatque cubiculum. Tum moniti ambages, & obliqua verba perpendere; quæ longè mihi videbantur obscuriora, quàm ipsius negotii à me suscepti extricatio. In diversa distrahebatur animus, ipsaque fluctuabat cogitatio. Num id scilicet voluerit: characteres illos sinistrorsum legendos, more Hebreorum, Phœnicum, Pœnorum, Arabum. Nam si scriptum aliquod à tergo legeris, literis in contrarium versis, à dextra in sinistram eundem est. Num autem indicare in animo habuerit, non mihi auxilium à libris petendum, quòd mendis scateant, & chalcographorum $\sigma\Phi\alpha\lambda\mu\alpha\sigma\iota\nu$; sed ab ipsis metallis. Quæ incorrupta sunt antiquitatis monumenta. Tam inopinatâ igitur severissimi moniti acerbitate spes nostræ corruerunt, ac veluti falce ancipiti præcisæ sunt. Ad ulteriora investiganda obtorpuit animus, subsidit alacritas, & quædam mœroris umbra mentem obsedit. Itaque facem trado. Utinam sis me fortunatior,

— *Phyllida solus habeto.*

165 Hactenus vir maximus, qui hujusmodi studiis, prophanisque omnibus literis dimissis; aliquot anni sunt, ex quo omnino se dedidit (dum oculi sinebant) lectioni Librorum

rum

rum Sacrorum utriusque Testamenti, incredibili fructu & voluptate.

166 Illud verò tam ardens & indefessum omnium literarum studium omni vitâ impensum, non solum retulit in eum finem, ut ex eis tantum voluptatem perciperet honestam; sed etiam in Hispaniæ gloriam; quam summo-pere propagasset, nisi pessima temporum conditio sapientissimi viri consiliis invidisset. Nam ex quo Decani mens illustrari cœpit antiquitatis cognitione, semper in animo habuit scribere *Hispaniam Antiquam*, imitari cupiens Philippum Cluverium, qui edidit *Germaniam Antiquam*, *Siciliam Antiquam*, et *Latium vetus*, eruditissima opera, quæ Respublica literata æstimabit, Latinis dum manebit pretium literis. Simile consilium habuerat sub Philippo II. Hispaniarum Rege gloriosissimo, Petrus de Esquivel Complutensis, Mathematicarum Artium Professor in patria Academia, vir ingenii præstantissimi, eximiæ doctrinæ, singularisque industriæ, qui Claudii Ptolemæi æmulus, magno cognatu aggressus fuit Hispaniæ Descriptionem exactissimam; atque ad eum finem invenit, & è ligno sibi confecit instrumenta, quibus præsens ipse altitudinem & latitudinem cujusque loci deprehenderet; & Rege liberalissimo sumtus faciente, diu longèque peregrinatus

tus fuit; cœptum tamen opus absolvere non potuit, morte præreptus. Ejus tamen partis Descriptionem, quam absolverat, apud Regem reliquit, communicatâ prius inventione suâ, ejusque explicandæ modo, cum Cl. viro Didaco Guevarâ, quem à puero in Mathematicis instituerat, suæque doctrinæ & gloriæ heredem esse volebat: prudentissimusque Rex jussit ei tradi omnia Squivelis adversaria, ut cum opus sibi videretur, de illis ad se referret. Affecta tamen omnia manserunt, & oblivioni tradita; nam Squivel velut alter Socrates, nunquam scripsit eâ fini, ut scripta sua publicaret.

167 Tam præclarum igitur consilium illustrandæ Hispaniæ Martinus adgredi cupiebat; & in eum finem collegit antiquas Inscriptiones, quæ non essent in maximâ Jani Gruteri Collectione, neque in Thomæ Reinesii, Raphaëlis Fabretti, aliorumque: adeò ut collegerit quadringentas & quatuordecim, quas misit eruditissimo Marchioni Scipioni Maffeo: quarum publicationem ab eo expectat orbis literarius, multum debiturus Decani Alonensis diligentia ac liberalitati. Qui cum vota sua desperaret ad optatum exitum perducere, opes illas minimè invidit literatis viris. Et profectò consilium illud Martini absque Regia auctoritate & sumtibus confici non poterat.

rat. Erat enim necessarium circulare Regis mandatum, ut in singulis locis ubi opus esset, ministraretur Martino quicquid necessarium foret ad eam rem, ut mechanici, fossores, machinarii, aliique similes; peragrarè universam Hispaniam, videre & examinare vetera monumenta, vestigia antiquitatis, secum ferre delineatorem peritissimum, & hujusmodi alia; quæ sine regiis sumptibus fieri non poterant. Itaque Martini vota irrita fuerunt. Cujus rei ipse conqueritur in quamplurimis epistolis, ac sigillatim in iis, quas ad eruditissimum virum Bernardum Monfalconium Alonæ dedit postridie Nonas Martias anni MDCCXVII. Nam cum Monfalconius videret tam stupendam antiquitatis notitiam cum mirabili Latinæ Græcæque linguæ peritiâ conjunctam, vehementer eum exhortatus fuit, ut in antiquitates Hispanicas eruendas incumberet, explanandisque iis animum manumque adhiberet, & de opere typis edendo suo & Marchionis Villadariæ nomine securum esse jussit. Cui viro eximio, egregioque antiquitatis illustratori, quid Martinus responderit, utile erit subjicere, ut intelligat posteritas Emmanuelem Martinum minime sibi defuisse; sed illustrandæ Hispaniæ voluntati pessima tempora obstitisse. *Quod mones (inquit) ut antiquitatibus Hispanicis eruendis explanandisque animum manumque admoveam,*

id

id ipsum est scilicet quod vel ab ipsa adoles-
centia in votis habui. Neque fateri detrectabo,
me quondam ad eam rem exsequendam & spem
& animos erexisse. Sed fregit acrem illum impe-
tum malus quidam Hispaniæ genius. Faculta-
tes enim nostræ exiguæ, amicorum copiæ infidæ,
procerum opes inertes. Eaque temporum acerbi-
tate attritæ. Est autem res sumptuosa quam
parabamus. Quo igitur viatico Hispaniam per-
agrabo? antiqua lustrabo rudera? neglectos
scrutabor cineres? Nempe Regio. Id unum su-
perest. Ac fortasse id impetraremus ab optimo
Principe, si essent qui ejus auspicia sollicita-
rent. Sed vides nodum, in quo solvendo plus
sit negotii quam in Gordiano. Ergo dormiamus
in utramque, mi Monfalconi, & altum sterta-
mus, quando ad id unum aliena ope non indi-
gemus.

168 Elucubravit Emmanuel Martinus
Opera quamplurima, adolescens, juvenis, se-
nex. Quorum Catalogus hic est.

169 *La Gigantomachia*. Poëma Hispanum
Ogdoadibus constans, divisum in 4. libros.

170 Comœdiæ quatuor, videlicet

Amar i no amar a un tiempo.

Que mas infierno que amor?

Tener de si mismo celos.

Ulysses i Penelope.

Quæ

Quæ omnes, postremâ exceptâ, actæ fuerunt in publicis Theatris magno audientium plausu.

171 *Soledad. En Valencia por Francisco Mestre*, Año MDCLXXXII. in 4. In hac Sylva imitatus esse dicitur Sylvam primam nobilissimi Poëtæ Ludovici Gongoræ exquisitâ eruditione, & affectatâ obscuritate celeberrimam.

172 *Amalthæa Geographica. Sive, De rerum copia. Opus Miscellaneum*, in viginti Elegias divisum. Romæ Typis Dominici Antonii Herculis, An. MDCLXXXVI. in 8. Hujus Operis argumenta indicavit ipse Auctor Epigrammate sequenti.

Conferta est variis *Elegeia prima* METALLIS:

Quo GEMMÆ veniant axe, *Secunda* docet.

Tertia quas habitent profert ANIMALIA terras:

Provida percelebres *Quarta*que dicit AVES.

Quinta dedit varios diverso in litore PISCES:

Horrida SERPENTES sed tibi *Sexta* dabit.

Fertilis innumeris ornatur *Septima* PLANTIS:

Nobilis *Octavam* plurimus implet ODOR.

Nona peregrinis legitur spectabilis HERBIS:

Diversus *Decimam* FRUCTUS adimplet opus.

Undecima pingues *Elegia* carpite FRUCTUS:

Bissena electo consita FLORE viget.

Utilis ARMORUM varios tulit *altera* ritus.

Fert INSECTORUM *Proxima Charta* genus.

Fert *Quinta & decima* pretioso munere VESTES:

Bisque octava suas ordine monstrat OPES.

Sep-

Septima post decimã FLAMMASQUE & FRIGORA
dicit:

Bis nona & POTUS concinit , atque CIBOS.

Quæ Nona & decima utilibus dat munera SAXIS:

Ordine non ullo *Postera* finit Opus.

173 *Sylva de Tyberis alluvione*. Romæ,
apud Joann. Jacob. Komarech, MDCLXXXVIII.
in 4. Cùm hanc Sylvam carminibus heroicis
conscriptam Cardinali Josepho Saenzio Aguir-
rio obtulisset Auctor , tanti viri patrocini-
um sibi conciliavit ; meruitque ejus & Bibliothe-
cæ præfici , & studia adjuvare.

174 *Ammonii Hermetis Versio De Simili-
bus & differentibus Vocabulis , Notis & Com-
mentariis illustrata*, MSS.

175 *Phelegontis Tralliani , Imperatoris Ha-
driani Liberti Historia Olympiadum* , Latinita-
te donata ab Emmanuele Martino. MSS. Hanc
versionem Romæ olim vidit , Matritique pos-
teà laudavit Cæsar Laurentius Bulipho in ele-
gantissimâ Præfatione ad *Απαγγελου* Marti-
nianam. Ipse flammis cômisit An. MDCCXXVIII.
magno famæ suæ detrimento , maximo erudi-
torum desiderio , atque dolore.

176 *Tractatus de Veterum Poculis*, ubi uni-
versa , quæ ad veterum Pocula & Symposia
spectant , discutiuntur , atque illustrantur.
MSS.

177 *Etymologicon Magnum Latine Lin-
guæ,*

gue, in quo non origines modo ac vera Romani sermonis initia, quasi è tenebris educuntur; sed quàm plurima mysteria ad eam rem pertinentia.

178 Opera omnia superiora recensuit laudavitque Josephus Rodrigezius in *Bibliotheca Valentina*. E qua excerpfit sua *Monumenta Historica Academiae Valentinae* ornatissimus vir Franciscus Ortinus nuper vitâ functus, inter cætera culpandus, quòd silentio prætermiserit Emmanuelem Martinum, aliosque viros egregios adhuc superstites, cum tamen nonnullos amicos suos summis laudibus profequutus sit, suorum affectuum potiùs, quam aliorum meritorum, susceptique argumenti memor: licet debiti aliquibus officii admonitus fuerit à Gregorio Majansio in schediasmatis pertinentibus ad Academiae Valentinae defensionem.

179 Sed & plura alia Martini opera recensenda sunt, quæ in Rodriguezii notitiam non pervenerunt. Quorum aliqua strictâ oratione, cætera solutâ scripta sunt. Strictâ hæc.

180 *Elegiarum Decas ad Camillam*, MSS. Gabriel Joannes Reginerius vir ingeniosissimus scripsit Epistolas ἑρωτικὰς Lycoridi cuidam, quas recitavit in congressu amicorum præsentem Martino. Qui mutuò illi tradidit librum suum *Elegiarum ad Camillam*, quem
Re-

Reginerius laudibus ad cœlum extulit ingeniosa epistolâ, & benè longâ.

181 *Fasti Romani veteres* Elegiacis carminibus, Mss. Opus eruditissimum.

182 *Odarum Liber* mirabili cœstro conscriptus, Mss.

183 *Hendecasyllabi Catulianis* simillimi, Mss.

184 *Versio plurimorum Anthologiae Epigrammatum*, Mss. Paucula habet Gregorius Majanus, quæ cum ipsis exemplaribus proculdubio contendunt.

185 *Martialis Disticha, & Epigrammata aliquot Græcè expressa*. Ea impensè laudavit Janus Interamnensis Ajalæus, Poëta egregius.

186 *Ἀπαστρῶσις*, sive in Astrum Conversio. Elegia Emmanuele Martino, Decano Alonensi, Auctore. In qua Arcam, itinerum attritu ac vetustate fatiscentem, quadam veluti consecratione inter Astra collocat: Clarissimo viro J.U. D. Philippo Buliphoni, olim in Neapolitano foro caussarum Patrono, ac postmodum in Alonensi tractu Regii Ærarij Præfecto vigilantissimo atque integerrimo (nuper vitâ functo) inscripta. Accesserunt nonnullæ eorundem Epistolæ ad idem argumentum spectantes. Mantuæ Carpetanorum, ex Typog. Nicolai Rodriguez Francos, An. MDCCXXII. in 4. Præfationem præmisit Cæsar Laurentius

Bulipho oppidò elegantissimam, & in ea recensuit præcipua scripta Emmanuelis Martini: cujus Elegia eruditissima est, & decies repetita, placebit. Ejusdem Epistolæ, amœnissimæ; Philippi Buliphonis, dignæ ejus judicio; duæ Jani Interamnensis Ajalæi, sicuti ejusdem Censoria, disertæ. Hic editionem accuravit, præmisitque Carmen Phaleutium ab se olim conscriptum in Epistolarum laudem, in quo vir ingeniosissimus, quantus esset in eo carminis genere, planissimè ostendit.

187 Scripta oratione solutâ sunt sequentia.

188 *Notæ in Theocriti Idyllia.* Mss. Has Martinus vocat delicias suas.

189 *Observationes in Aristophanis Comædiis.* Mss. Quæ quanti fieri debeant, Auctoris erga Aristophanem amor satis indicat.

190 *Satyromastix.* Sive *Notæ Criticæ in Q. Sectani decem priores Satyras.* Legit relegitque hoc Opus Gregorius Majansius: & in eo admiratus est ingenium accutissimum, summamque Latinæ linguæ peritiam. Diligentissimè illud apud se custodit, atque edere cogitat.

191 Περὶ Παθῶν Liber, sive *De Animi Affectionibus ad Stoicorum sententiam,* Mss. Quo etiam titulo libros suos donarunt Zenon Cittæus, Hecaton, Chrysippus, & Andro-

dronicus junior. Martini hoc opus affectum. Tamen illud Majansius Epistolarum editioni adjunxit. Alexander Zondadarius, Archiepiscopus Senensis, cum Matriti esset unà cum fratre suo Antonio Felice Zondadario, tunc Legato Pontificio, nunc S. R. E. Cardinale dignissimo, Martino hanc Dissertationem legente, exultabat præ gaudio; urgebatque eum, ut illam absolveret: nam cupiebat ipse sumtibus suis eam edere. Sed cum anno octavo evenisset dissensio aliqua de rebus ad Monarchiæ jus pertinentibus inter Regem Catholicum & Summum Pontificem, illis ab Hispaniâ excedere jussis, publicationis spes omnino evanuit.

192 *Observationes Politicæ in Homerum.*
Magnæ prudentiæ, & sapientiæ opus.

193 *Volumen prægrande Variantium Lectionum*, quas ex collatione vetustorum codicum eruit.

194 *Eustathii Patriarchæ Thessalonicensis, egregii illius Homeri Scholiastæ, Commentariorum in Homerum duo priora volumina in Latinam linguam conversa ab Emmanuele Martino*, cui Laurentius Zaccagna Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, & Græcè peritissimus, opus illud vertendum commisit, idem suadentibus & adhortantibus eruditissimis viris Raphaële Fabretto, & Philippo Bonarrotâ. Hoc opus

L 2

ipse

ipſe Martinus exiſtimavit immane , & penè ſupra humanas vires. Et tamen ad exitum feliciter perduxiffet , niſi admonitus fuiſſet ab eruditiffimo Monfalconio , opus illud jam ab alio viro docto abſolutum fuiſſe , ac brevi edendum.

195 *Epiftolarum Libri XII.* quæ nunc prodeunt in lucem , eaſque tantùm quiſque laudabit , quantum ſperabit ſe poſſe imitari.

196 Hæc ſunt , mi Lector , quæ ex ipſius Emmanuelis Martini Decani Alonenſis Epiftolis , tam ad me , quàm ad alios datis , & ad me quidem linguâ Latinâ , & Hiſpanâ , colligere potui. Quæ poſtea quàm diligenter excerpti ; uno veluti filo contexui , judicium tantùm , ordinemque , ſtilique texturam convenientem addens ; quò major fides hiftoriæ huic habeatur , utpote ab Auctore ipſo profectæ , & à me confectæ. Plura profectò ſcires , ſi mo-deſtiſſimus vir hac in parte , prout æquum erat , non recuſaſſet ſatisfacere voluntati meæ. Ab eo primùm per amicitiam rogavi , ut exemplo C. Cæſaris , & M. Tullii Commentarios ſcriberet de rebus ſuis. Quorum ille tales conſcripſit , ut nihil Latina lingua habeat , neque cordatius , neque elegantius. Hic poſtea quàm ambitioſius à multis poſtulaverat , ut rerum ab ſe geſtarum actarumque Hiftoriam conſcriberent ; eorum moras pertæſus , denique ſcripſit
ipſe

Ipsè suum Consulatum Græcè, eâ elegantia, ut conturbaverit universam Græciam. Quo factum, ut multi ex ea Natione, qui ei operi manus admoverant; ejus Syntagmatis præstantiâ deterriti, animum desponderint, eamque cogitationem abjecerint. Adjiciebam exemplum L. Cornelii Sullæ Dictatoris, qui Commentaria, sive Ephemeridas reliquit, quibus universus vitæ suæ cursus continebatur. Item M. Aurelii Antonini cognomento Philosophi, qui libros scripsit de rebus suis, qui omnium manibus feruntur. Denique novissimum exemplum sapientissimi eruditissimique viri Petri Danielis Huetii, qui eorum qui de rebus ad se pertinentibus scripserunt, & exemplum facto imitatus est, & confecit etiam longum catalogum; multoque longiorem potuisset facere. Quorum plerique suam ipsi vitam narrare, fiduciam potius morum, quam arrogantiam arbitrati sunt: nec id iis, qui bonæ tantum conscientia prætio ducti, citra fidem, aut obtreptioni fuit. Et sanè ego nihil aliud cupiebam, contentebamque, quam ut simplicissimè exponeret res ipse suas, profectusque suos in literis, ac maximè, ut proficiendi modum posteritati patefaceret, ut vero Mercurio, studiorum ostendente viam ab se feliciter confectam, certius ea deinceps, commodius, utiliusque ab aliis iniri posset. Quod cum impetrare ab eo

non


non potuisseni ipsius modestiâ reluctante, neque, ut par erat, adjuvare vellet meam voluntatem propositumque de rebus suis scribendi; ego pro meo jure, quod ipse poteram, suscepi. Quamquam ne mihi odium, illique invidiam conflarem, de laudibus ejus non tam ea scripsi, quæ debentur ei, quàm quæ & Lector fastidiosus, & modestissimi viri aures ferre possint. Hoc tamen à viro amicissimo impetrare potui, ut *Vitam* hanc editioni (vel si ipse nollet) paratam, ne gravaretur legere, ut si quid fortè occurreret minus verum, aut ineleganter dictum, deleteret. Quam cùm ipse legisset, officium nostrum impensè laudavit, stili ruditatem pro sua humanitate condonavit. Sufficiat igitur pauca hæc delibasse, ut & virtutibus ejus debitus honor reddatur, & pius Lector occasionem habeat ab immortali Deo deprecandi, uti vitæ cursum longiorem ei præstet, ut eo superstite, viva sit apud nos literarum gloria: quò & literarum vindicem exteris opponere possimus, & nostratibus exemplar imitandum proponere. Ego certè in meo museo habeo magni sapientissimique Jo. Ludovici Vivis, & Emmanuelis Martini, viri undequaque eruditissimi præstantissimique effigies; quas quoties intueor, vehementissimè mihi animus accenditur ad sapientiam. Scilicet memoria tantorum virorum hanc flammam

flammam

nam mihi in pectore crescit, per quam ardeo cupiditate proximè accedendi quantum in me sit, ad eorum famam & gloriam nunquam intermorituram. At Emmanuel Martinus vivit adhuc. Ideò ergo invideamus ejus meritis ac felicitati? Ego nunquam invidebo: laudabo semper, pedibusque alacer ibo in C. Plinii sententiam, qua finem imponam Historiæ meæ. *An si inter eos (inquit Plinius Epistola ad Euricium de Pompejo Saturnino loquens) An si inter eos quos nunquam vidimus, florisset, non solum libros ejus, verum etiam imagines conquireremus: ejusdem nunc honor præsentis & gratia quasi satietate languescet? At hoc pravum malignumque est, non admirari hominem admiratione dignissimum, quia videre, alloqui, audire, complecti; nec laudare tantum, verum etiam amare contingit.*

T. LUCRETIVS LIB. VI.

Inde videre licet, qualis jam vita sequatur.



G. Mayans
—
Vida
del
Dean Mart

1735